ORPHEUS

POETARUM GRAECORUM ANTIQUISSIMUS.

AUCTORE

GEORGIO HENRICO BODE.



Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστίν.

Commentatio Praemio Regio ornata.

GOTTINGAE

TYPIS DIETERICHIANIS

MDCCCXXIV.

PROLEGOMENA.

Εἴθ' Ὀρφέως μοι γλῶσσα καὶ μέλος παρῆν.

I.

Quum de multis rebus, ad antiquissima Graeciae tempora spectantibus, parum adhuc sibi constant doctissimorum hominum sententiae, tum omnibus quaestio de poesis apud Graecos origine, primisque incrementis, et difficillima visa est et gravissima. Cujus quidem quaestionis difficultates non nostris demum temporibus ei se offerunt, qui eam sibi tractandam et explicandam sumpsit; sed jam ipsis olim Graecis, qui primi animum paulo diligentius huc advertebant, eadem res tantopere videbatur longinqua temporis vetustate obscurata esse, ut vix ultra Homerum suum prospicere auderent. Quam animi dubitationem et rei obscuritatem eo majorem esse oportebat, quo certiore judicio jam tam prudentiores intelligere coeperant, Homeri carminibus nihil antiquius ad sua tempora pervenisse. Nec magnopere curabant ejusmodi quaestiones; quippe qui ne indagare quidem amabant, unde Homericorum, id est epicorum, carminum fontes profluxerint, quid vates ante Homerum in hoc genere profecerint, qui fuerint, et ubi locorum, omninoque quam antiqua sit epica poesis. Multo minus accuratius investigare studebant, num hoc poesis genus antiquissimum sit, an aliud antiquius, et quodnam. Secure fruebantur dulcedine carminum, quibus edax rerum vetustas pepercerat: quae vero aevi morsus consumpserat,

eorum rationem et naturam ex antiqua memoria et involucris fabularum, quarum magnam copiam cana Graeciae vetustas ad illa tempora transmiserat, exquirere fere negligebant: atque haud scio, an majorem illinc utilitatem uberiusque emolumentum, quod quidem ad vitae usum, quem illis seculis tanto studio sectabantur, conferre potuisset, ceperint, quam hinc umquam capturi fuissent. Praeterea ne mediocriter quidem illa aetas versata erat et exercitata in his rebus tractandis, utpote quae solutam orationem faciliorémque scribendi usum vix natum viderat, necdum plane deposuerat rationem, qua omnia ad pulchri sensum revocare solent poëtae, parumque assuefacta judicii vi et subtilitate, qua unice opus est in rebus historicis, et ex qua virtus rerum scriptoris in primis aestimanda videtur.

Quapropter nihil est, quod miremur, cur veteres, tot tantisque difficultatibus impediti, ejusmodi subtilioribus disquisitionibus immorari vel noluerint vel non potuerint. Huc accedit, quod primi rerum Graecarum scriptores, quibus judicii vis haud deerat, prae suorum temporum ingenti splendore et celebritate libenter obliviscebantur antiquitatis suae, et quaestiuncularum de cujusvis artis primordiis. Patefactus iis erat splendidissimus ille historiae scribendae campus, in quo et ingenium ostentarent, et judicium exercerent, et artem proderent; quam brevi tempore ad tantum fastigium evexerunt, ut posteris seculis vix aliquid perfectius elaborandum reliquerint. Qui vero scriptores jam antea in antiquitatis fabulis e poetarum carminibus colligendis et ordinandis occupati erant, ii, quia vix fabulam ab historico facto dignoscere callebant, et historicae critices fere expertes erant, vix digni judicati sunt, qui historicorum scriptorum nomine appellarentur. Utinam omnes fabulae, ex antiqua memoria propagatae, tales ad nos pervenissent, quales illius aevi sedulitas collegerat, colligendaeve ei patebant, integras dico et incorruptas, necdum contaminatas fuco sequentium scriptorum, qui nexum historicum ratiocinando ubique infarserunt.

Quos puriores fontes si nostro aevo adire liceret, quid inde haurire potuisse, et quomodo iis usuros fuisse existimes Bentlejos, Wolfios, Vossios, ut alios, quos seculum nostrum admiratur, praetermittam; quippe a quibus aliena quoque est ambitio et partium studium, quo Graeci, rerum Atticarum potissimum scriptores, tam facile se abripi patiebantur, ut uni alicui regioni vel urbi, patriae praesertim, omnia cultioris vitae initia, omnia artium et disciplinarum primordia, omnia denique salubria Graecorum instituta vindicare anniterentur. Quam improbam libidinem postea imitati quodammodo sunt, et ad aliud traduxerunt Grammatici Alexandrini, qui ex obscura antiquitatis fama et incertis rerum traditarum vestigiis facta historica callidiore quidem et versutiore acumine elicere sciebant, sed mythos, et origine et aetate diversissimos, in unum systema colligebant, et priscam sinceritatem novis commentis infucabant.

Verumtamen hic fucus facile abstergi posset ab iis, qui mirabilem quandam artem in his rebus, temporum hominumque culpa contaminatis, hodie ostendunt, nec spes abjicienda esset, fore, ut dissoluto Alexandrinorum systemate, et singulis mythis per se spectatis et aestimatis, priscorum temporum integritatem ab iisdem viris, in hac arte primariis, aliquando restitutam videremus, dummodo illorum lucubrationes integras possideremus. At hi quoque fontes maximam partem exaruerunt; pro quibus turbidi rivuli, et a sacris et a profanis manibus illinc derivati, sed ex operoso decursu per docta indoctaque secula et ingruentem barbariem sordibus misere corrupti, hodie manant.

II.

Quodsi igitur nos, qui tam sero in his studiis versamur, mente et cogitatione ingens temporis spatium respicimus, quod inde a Graecae historiae

primordiis effluxit; si varios casus, quos aetas mythica sub Graecorum scriptorum manibus passa est, animo nostro colligimus et contemplamur; si denique exiguas illarum rerum reliquias, ad nos delatas, consideramus; non possumus sane non deplorare harum litterarum fatum, durum istud et inexorabile, quod accuratiorem politissimae humanitatis, a Graecis susceptae, cognitionem nobis invidit; quod primos igniculos omnium fere artium et disciplinarum inventarum abdidit et paene extinxit; quod omnis splendoris, ab ingeniosissimo populo producti, causas et rationes tantopere obscuravit, ut vix tenue lumen habeamus, et omnia quasi per nebulam cernamus.

Juvat tamen et hos tenebricosos antiquitatis lucos intrare et peragrare, non tantum circa apricos historiae campos versari, amoenissimos illos quidem, sed communes et tritos. Ut Daphnen amans Apollo, sic et qui haec Apollinis castra sequuntur, ingenti Musarum, deviorum lucorum umbras quaerentium, amore perculsi, et suavissima horum studiorum dulcedine allecti, si qua latent, meliora putant. Illa arcana non promiscue, neque omnibus in vestibulo haerentibus, sed initiatis duntaxat patent, ut Romani philosophi verbis utar; reducta et in interiore sacrario clausa sunt. Verumtamen in hoc antiquitatis labyrintho fido duce vix carere te posse quum per se in oculos incurrit, tum multa et varia virorum doctorum exempla docent, qui aut nullum comitem, aut infidum et fallacem, Ingenium puta, sibi adjungentes, illic et olim et hodie in alienas vias et tramites deerrarunt, quae ad Errorum domicilium inscios ducunt. Si vero incorrupti Judicii et Rationis scrutatricis fidei te credideris, quae et per fabularum simulacra ac ludibria, vario dissonoque sono te undique circumvolitantia, et per alta historiae silentia te comitetur et traducat, tum nihil est, quod dubites, te aliquando, quamvis difficili et ardua via, ad sedem Veritatis perventurum. Illam tibi conciliare stude; illa Ariadne tua esto, quae tibi filum praebeat: illam si deserueris, similis Deorum ira te persequetur, quam Thesei olim perfidia experta est.

Illis vero primis Graeciae temporibus, in quorum tenebris ingeniosissima gens omnis politioris humanitatis semina, jam mature jacta, proferre coeperat, nihil expavescendum est, ubicunque historia non clara voce te alloquatur, sed obscure tantum, et quasi per ambages: modo omnes testes adhibeas, quorum rationibus et argumentis lente exploratis, perpetuitas et nexus quidam efficiatur. Qua in re si constanter versaris, nutus probe exceptus majorem saepius vim habet ad rei gestae veritatem inveniendam, quam clara corrupti testis vox. Atqui plura sunt, de quibus historia plane tacet: eorum tamen natura talis plerumque est, ut vel ex praegressa vel ex sequente voce, vel ex utraque simul, certa conjectura fieri queat de silentio in medio sito. Sic in Homericis carminibus multae artes et fabulae, multaque instituta non memorantur, quae tamen ex illis argumentis certum est Homeri temporibus cognita fuisse. Aptissime in hanc sententiam Fr. Aug. Wolfius, hac in arte facile princeps: "Est haud dubie, inquit, silentium quoddam nullius momenti, et in neutram partem trahendum; contra aliud est argutum, et, ut ita dicam, vocale, quod si non expugnatur diversum testantium auctoritate, vel ea, quae omnes omnium auctoritates frangit, ratione, apud prudentissimum quemque semper plurimum valuit."

III.

Sed satis diximus de difficultatibus, quibus et olim et hodie accuratior quum antiquissimarum rerum Graecarum omnino, tum poesis primordiorum cognitio premitur, et de probabili ratione, qua te illinc expedias. De gravitate et pondere nostrae quaestionis de Graecae poesis initiis vix est, quod longo molimine disputemus doctis hominibus; ut qui probe sciant, omnis Graeciae cultum a poetis profectum esse. Nihil est in universo mythologiae orbe, nihil ad deorum cultum pertinens, quod a poetis non ex-

cogitatum, ornatum, variatum sit. Vena poetica animos Graecorum tantopere penetraverat, ut, si singularum aetatum seculorumque singuli poetae nobis superessent, optime inde perspicere possemus singulos progressus et gradus, quibus ingeniosissimus populus ad altissimum illud culturae fastigium adscenderit. Nam inter innumera alia hoc quoque in Graecis poetis admiramur, ut seculi, quo quisque vixit, fidam nobis imaginem reddant. Quid? quod, quo altius in antiquitatem Graecorum adscendimus, eo arctius omnia cum poesi conjuncta et quasi colligata reperimus. Omnium fere artium omniumque disciplinarum primordia in poesi sunt quaerenda, et originem suam plus minusve produnt. Quam diu luctata est philosophia, priusquam poeticam tum formam tum materiem desereret! Thales, primus Graeciae philosophus, et formam et materiem ex antiquissimis cosmogoniarum et theogoniarum auctoribus petiit; petierunt reliqui, quos physicorum nomine appellare solemus. Quare non video, cur poetas, quorum rationem illi sequuti sunt, non eodem nomine philosophos vocare liceat. Historia autem notum est quam diu a solis poetis tradita et propagata sit. Nec quemquam hodie fugit, quam arcte operum artifices se poetis adjunxerint, eorumque perpetui comites fuerint; quomodo illi formas, carminibus ab his descriptas, miranda et plane divina arte repraesentaverint, ut Phidias sublimen Jovis Olympici imaginem apud Homerum invenit: et quid poetae ab artificibus mutuati sint; ita ut lyricorum et tragicorum potissimum carminum interpretatio ex veterum operum accurata cognitione saepe tota pendeat, et contra. Quid? quod primae adeo Graecorum legislationes versibus descriptae et poetico colore temperatae sunt.

Sed haec omnia accuratius et explicatius tractabo in Graecae poesis historia, quam in certas quasdam temporum periodos distributam vernacula lingua scribere aggressus sum. Quo in opere sic versari in animo habeo,

ut singulis periodis prooemia de Graecorum ingenio, moribus, et statu politico, qualem variae temporum rationes produxerunt, praemittam; simili usurus temperamento ac Bouterweckius in praeclara recentioris poesis et eloquentiae historia.

Deorum autem cultum antiquissimos poetas inter Graecos consecrasse et certius deinde definivisse, quum per se e totius Graecae religionis natura et indole poetica patet, tum ex antiquitatis testimoniis evinci potest. Poesis vivae naturae rebus formas affinxit humanas, quas, indole et moribus earum accuratius descriptis, nominibusque iis inditis, populo tradidit, qui magna deinde religione eas colere coepit pro diis, rebus hominum prospicientibus. Ex hoc poesis genere sunt Orphei, Musaei, Lini, Pamphus, Olenis aliorumque nomina, quae suis carminibus, quia nullis mansuris monumentis per septem et quod excurrit secula consignari potuerant, supervixerunt. Sed inter populum quoque, quem hi primi Graeciae poetae deorum cultum docuerunt, exorti sunt vates, qui, heroum suorum res gestas celebrantes, deorum formas, rudibus lineis jam designatas, paullatim ita exornabant, amplificabant et variabant, eorumque vitam humanae tantopere assimulabant, ut, quum Homerus canere coepisset, prima illorum origo primaeque notiones populum, cui delectando canebat, plane latuisse videantur. Sic et religio poesis facta est, et poesis religio, ut dii, quales a poesi formati erant, tales, servatis adeo poeticis epithetis, ad cultum transirent. Illud autem poesis genus, epico genere multo antiquius, Graeci inde a vetustissimis temporibus complecti consueverunt nomine Orphei, quem ideo Graecae poesis patrem Aeschylus, Pindarus, alii, appellant: quam candem rationem nomen Homeri quoque expertum est, qui, quamvis plures ante se poetas fuisse ipse dicat, ad omne tamen epicum genus traductus ejusque auctor habitus est.

Quam utile vero, gratum atque jucundum nobis foret, ut ex Homericis carminibus ingeniosissimos poetas divina vi ac spiritu juveniliter ludentes populumque suaviter oblectantes cognoscimus, ita quoque ex Orphei carminibus poesis infantiam, summa deorum numina pia religione venerantem et celebrantem, eorumque formas, munera et nomina indicantem et describentem cognoscere; praesertim apud eum populum, quem omnes fere cultioris ingenii gentes et antiquiorum et recentiorum temporum, unicum exemplum in poesi sibi imitandum sumpserunt. Illis quidem seculis non ea linguae facilitas et orationis volubilitas expectanda est, quae apud Homerum, longo haud dubie poetarum usu et operosa exercitatione ad talem perfectionis gradum adducta, apparet; sed multas horridas et scabras verborum formas orationisque compositiones Orphica aetas retinuisse videtur, quas Homericum aevum non amplius probabat, et cultioribus auribus non convenientes rejiciebat: sicuti in arte statuaria horridiores rigidioresque formae multae elaboratae sunt, priusquam, mollioribus factis, illae respuerentur. Verumtamen hac animi voluptate ipsos jam Graecos temporis injuria fraudatos esse suspicor, certe ex quo expeditiore usu scribere didicerant, hoc est, inde a seculo septimo ante Chr. Pascebant quidem credulos animos tenui carminum umbra, fida partim, partim fallaci, quam pro vero Orpheo, fraudibus semper accommodo nomine, substituerant impostores. Quem morem et rationem multi hodie quoque tenent, qui in nostris carminibus Orphicis praeclarissimas sententias, ex ipsius Orphei divino ore fusas, sibi legere videntur. Nonnulla quidem perantiqua in istis sunt, praecipue in hymnis et iis fragmentis, quae ab antiquioribus scriptoribus, Platone, Aristotele, aliis, laudantur; utpote quae Hesiodi atque Homeri simile quiddam sonent, et ad seculum ante Chr. sextum, quo apud Athenienses Pisistrati Pisistratidarumque floruit tyrannis, et Pythagoras, cujus scholam pleraque redolent, magnam auctoritatem nactus erat, referenda sint: alia autem his multo recentiora esse apparet, quippe quae, ut alia

νοθείας

νοθείας indicia omittam, haud obscure Christianismum Christianaque tempora sapiant; et ejusdem plane videantur farinae esse, ac Sibyllarum, Zoroastris Persomedi, et Hermetis Trismegisti scripta.

IV.

Haec in universum praemissa, proposito nostro, quod nunc quidem sequimur, sufficient. Quare ad suscipiendam disquisitionem jam propius accedentes, de fontibus, ex quibus quum olim poesis Orphicae cognitio hauriri potuerit, tum hodie possit, paulo accuratius agamus: quibus historica lege indicatis, et ex cujusque scriptoris fide aestimatis, subjiciamus indicem librorum recentiorum, qui vel toti in eodem argumento versantur, vel ex parte tantum, feramusque nostrum de singulis judicium.

Si ex antiquissimis Graecorum testimoniis, de Orpheo nobis servatis, eandem legem derivare animus esset, quam alii in similibus rebus sequuti sunt, ut, quo tempore res, vel mythus aliquis primum memoretur, eodem etiam eum vel ortum vel celebriorem factum esse putemus; tum sane statim desperandum foret de omni Orphicae poesis antiquitate. At hujus legis severitatem, quae in multis quidem nos cautiores esse docuit, sed in longe plurimis non multum a temeritate abest, ad Orpheum ne ii quidem traducere ausi sunt, qui in primis eam constituerunt [1]).

[1]) J. H. Vossius, qui in Epist. Mythol. T. 1. p. 32. Orphei poetae auctoritatem et celebritatem jam diu ante Homerum vulgatam fuisse concedit. Minus nobis negotii objiciunt temeraria et corrupta Francogallorum quorundam judicia, qui nullam certam legem, ex historia petitam, in his rebus sequuntur; ne Frereti quidem ingenio, et Larcherii exili diligentia excepta, quorum virorum constantiam magnopere desideramus. Illi profecto ex Homeri Hesiodique silentio vel numquam fuisse Orpheum, ejusque nomen Pythagorae demum aevo fictum, et ad poesin traductum esse, vel post Homeri ae-

Terpander Lesbius, antiquissimus Graecorum poeta et musicus, pri-

---

tatem vixisse, collegerunt. Quam absurdam, paene dixerim, sententiam, jam Barrius proposuit (Mémoir. de l' Acad. des Inscript. T. 16. p. 23 - 27.), quem deinde alii multi sequuti sunt, ut vir doctus in laudati Operis T. 23. p. 34; ipse Freretus (ibid. p. 248. 151.), Foucherius (ibid. T. 35. p. 76.), et nuperrime Gailius (de cultu Bacchi p. 98 - 102.) Ex nostratibus unum ejusdem sententiae defensorem attulisse satis erit, Meinersium (de vero deo p. 188 - 190.). Sed et aliud ab aliis passus est divinus Orpheus, quem etymologiis, ex diversissimis linguis, nescio quibus, petitis, certatim de medio tollere studuerunt. Quorum opinio quam vera aut quam falsa sit, partim hic exponere juvat, partim alibi, quandoquidem duplex ejus est consilium. Itaque hic pauca delibemus de iis, qui nec Orpheum nec poesin ante Homericorum carminum florem fuisse contenderunt. Omne istud commentum numquam tantam auctoritatem nacturum fuisse puto, nisi primi ejus sectatores ad summi Aristotelis sententiam provocare potuissent (ap. Cic. de N. D. 1, 38.); quae tamen, quo pertineat, non viderunt. Ac Gerhardus quidem Vossius palam profiteri nihil dubitavit (de poet. Gr. 2. T. 3, 2. p. 199. Op.): "Qui ante bellum Trojanum fuisse dicuntur poetae, a poetis ficti sunt." Quomodo autem horum poetarum nomina ex lingua Arabica derivanda et interpretanda sint, alibi indicavit, de art. poet. 13, 3. (p. 78.) T. 3, 2. p. 31., quo loco Orphei nomen e vocabulo Arifa (scire), unde Arif (sciens, eruditus, sapiens.) confictum esse dicit (vid. quae Souchay. contra monet de hymn. vet. in Mém. de l' Acad. T. 16. p. 99. Burnetus de Archaeolog. philos. 1, 9. p. 414. Olaus Borrichius de poetis, diss. 1, §. 17. Brucker. hist. philos. T. 1. p. 375. Fabric. Bibl. Gr. T. 1. p. 142.) Ex hoc judicio aestimanda sunt, quae idem vir doctus alibi de antiquissima Graecorum poesi, quasi aliud agens, prodidit, ut (ars poet. 7, 4. T. 3, 2. p. 18.) de Thalete, qui Orphei philosophiam sectatus sit; de Orpheo, lyrici carminis inventore (institut. poet. 3, 15, 1. T. 3, 2. p. 156.), et antiquissimo poeta, qui triginta ante bellum Trojanum annis vixerit, (ibid. p. 31.) et de vetustissima Thracum philosophia auctore Orpheo (de philos. sect. 3, 4. T. 3, 3. p. 286. b. cf. Lilium Gyrald. de Orpheo ambigue statuentem T. 1. p. 76. c. Op.). Similem ac Vossius sententiam amplexus est Gerhardus Croesius (in libro monstroso de historia Hebraeorum Homerica, vid. Ouwaroff. de myster. Eleus. p. 120 ed. 3.), qui Orpheum ad Graecorum figmenta, ex Hebraica lingua petita, rejecit (p. 146.). Iisdem vestigiis insistentes, alii alia delirarunt, ut Huetius (demonstr. evang. IV, 8. §. 18.), qui Graecos sub Orphei ficta persona Mosis sapientiam sibi vindicare studuisse opinatur (v. Tiedemann. in prim. Gr. philos. p. 5. 6. Bibl. Crit. Amstel. Vol. II. P. 6. p. 81. Fabric. Bibl. Gr. T. 1. p. 143.); quod deliramentum ob nominis similitudinem jam veteres Musaeo adaptarunt, ut Artapanus, et Numenius Pythagoricus (ap. Euseb. praep. Ev. 9, 27. p. 432. 411.), quos sequutus est Lilius Gyraldus (T. 2. p. 57. f.) et Steph. Pighius (de Themide dea p. 31. ed. Plant. vid. Voss. de poet. Gr. 4. T. 3, 2. p. 204 b.).

mus [2]) est, quem Orphei carmina lyrica curiose aemulatum esse novimus. Sed jam ante Terpandrum Orpheo insignes, quas apud Apollonium Rhodium obtinet, partes, ab antiquioribus Argonauticorum scriptoribus tributas esse, non potest in dubium vocari. Patet hoc ex diserto Pherecydis Lerii testimonio, cujus jam tempore dubitationes et quaestiones moveri coeperant de Orpheo Argonauta; quum alii Philammonem istis partibus functum esse dixissent, antiquioribus testimoniis, ut ego quidem certo mihi assequutus esse videor, nisi [3]). Etenim quot carmina de rebus ad Trojam gestis, de

---

De hoc Musaeo Palaestino vid. Valkenaer. de Aristob. p. 75. Neque multum ab his ineptiis abest Henrici Ursini opinio de Orpheo, ad Davidis regis exemplum conficto (Analectt. SS. 4. p. 219. cf. Io. Clericum in Bibl. select. T. 27. P. 2. p. 435. Natalem Alexandr. hist. eccles. T. 5. p. 358; quibus contradixerunt Brucker. hist. philos. T. 1. p. 374. Gesner. Proleg. ad Orph. p. XX Fabric. Bibl. Gr. T. 1. p. 143. ibiq. Harless. Moshem. ad Cudworth. syst. intellect. T. 1. p. 341. sqq. Buddeus Obss. Hal. T. 6. p. 309. Valkenarius de Aristobulo Judaeo p. 74.). De etymologiis Copticis, quibus sanctum Orphei nomen infestarunt J. C. D. Schmidtius (Opusc. res max. Aegypt. illustr. p. 108. 123.), et alii superiorum seculorum (vid. Tiedem. pr. Gr. philos. p. 10. Kanne Cononis narratt. p. 13. Larcher. ad Herodot. T. 2. not. 266. Gail. de cultu Bacchi p. 100.), plura infra, ubi de Orpheo Aegyptio exponam.

[2]) Manifestus error est Kannii, qui Herodotum primum scriptorem esse putat, qui Orphei mentionem fecerit (Cononis narrat. p. 11.). A quo errore nondum recessit Gailius (de cultu Bacchi p. 102.). Similem errorem erravit Freretur (Mémoir. de l'Acad. d. Inscr. T. 23. p. 262.). qui Pindarum primum Orphei testem laudat. In contrarium errorem alii delapsi sunt, qui Homerum atque Hesiodum Orphei mentionem fecisse dicunt, ut Souchay. de hym. vet. diss. 2. in Mém. de l'Acad. T. 16. p. 99. Nemo vero hoc confidentius et majore temeritate affirmavit Snedorfio (de hymnis vet. p. 49.), qui: "Praeter Homerum atque Hesiodum, inquit, *qui Orphei mentionem faciunt, et quanto in honore apud omnes Graecos ejus carmina fuerint, satis ostendunt*, multos alios fide dignos testes habemus." Vix impudentius novi mendacium.

[3]) Schol. ad Pind. Pyth. 4, 337. ad Apoll. Rhod. 1. 23. Sturz. Fr. Pherecyd. p. 118. Lil. Gyrald. Op. T. 2. p. 65. d. Brucker. hist. philos. T. 1. p. 375. J. H. Vossius Ep. mythol. 1. p. 32. Ottofr. Mueller. Orchom. p. 260. Weichert. de Apoll. Rhod. p. 131. 221. Gyraldus quidem (Op. T. 1. p. 71.) reperisse sibi visus est, cui Pherecydes contradixerit, Herodorum, qui (ap. Schol. Apoll. Rh. 1. 23.) duplicem Orpheum fuisse

Ilii excidio, de heroum Graecorum reditu decantarunt epici ἀοιδοὶ et ante et post Homericam aetatem; totidem antiquiores poetas de Argonautarum

statuit, quorum alter Argonautis interfuerit (Weichert. l. l. p. 167.). Sed duplex vitium commisit. Primum Herodorus junior est Pherecyde; deinde non probanda erat sententia de duobus Orpheis; quae quo rejicienda sit, infra demonstrabitur. — Plerique viri docti illud Pherecydis testimonium aut ignorarunt, aut perperam ceperunt, aut incuriose habuerunt. Ignoravit Gerhard. Voss. (de arte poet. 13, 3 T. 3, 2. p. 31.) Petrus Lambecius (prodr. hist. litter. p. 168.) qui: "Orpheum, inquit, Argonautem fuisse *unanimi consensu* ab omnibus antiquis et *novis* scriptoribus traditum est." Sane *novi* sunt isti scriptores. Hanonius (disquis. metaph. p. 340. contra Brucker. p. 375.) "Recte, inquit, Orpheus accensetur Argonautis; omne enim dubium tollit ipsum carmen Orphicum et Apollonius Rhodius." Scilicet ita judicare discimus. Ne Burmannus quidem ex antiquissimorum Argonautarum numero Orpheum sibi eripi passus est (Catalog. Argon.). Quid? quod multi hodie etiam totius antiquitatis consensum praetexunt, ut Francogalli, Clavier. hist. pr. Gr. temp. T. 1. p. 73. Sanctocrucius de myster. vet. T. 1. p. 45. 117. ed. 2. Larcher. ibid. T. 1. p. 468. Levesqu. stud. hist. T. 2. p. 113. A quo errore doctissimi rerum Graecarum scriptores, quos Britannia tulit, nec Gilliesius, nec Mitfordus, nec Goldschmidtius recesserunt. Ac Gilliesius (T. 1. p. 21. ed. Bas.) "The Argonauts, inquit, were accompanied by the divine Orpheus, whose sublime genius was worthy to celebrate the amazing series of their adventures." Quo in loco aliud insuper peccavit ingeniosus Britannus. Nam ad poesin epicam Orpheus tum demum traductus est, quum Argonautis eum accensere coepissent vel poetae cyclici vel seriores rerum Argonauticarum scriptores; quod Pisistratidarum certe aetate jam factum esse puto. Rittero tamen (Vorhalle p. 470.) ipse Orpheus Argonautica scripsit, e quorum fragmentis nostra constent (p. 290.). De his longe aliter alii prudentiores judicant. vid. Ottofr. Mueller. Orchom. p. 296. — Perperam cepit Pherecydis testimonium Freretus (in Mém. de l'Acad. d. Inscript. T. 23. p. 250 sq.) et alii; incuriose habuit Fabric. cum Harlesio suo T. 1. p. 160. 203. Caeterum totam Argonautarum fabulam fuse enarraverat Pherecydes sexto et septimo historiarum libro, ut acute demonstravit Matthiae. in Wolfii Analectt. Litt. T. 1. p. 326., quem sequutus est Weichert. de Apoll. Rh. p. 219 sqq. Unde sua hauserit Barrius (Mém. de l'Acad. d. Inscr. T. 16. p. 17.), qui Pherecydem habet poetam, in cujus carmine de Jasonis expeditione Orpheus inter Argonautas non lectus sit, nondum assequutus sum. — Num Mopsus quoque Argonauticae expeditionis particeps fuerit, (ut Ottofr. Mueller. Orchom. p. 260. nulla addita causa affirmat); vel post Homerum et ad bellum Trojanum et ad vellus aureum missus sit, (ut sine ratione Kannius dicit Mythol. Gr. p. XLV.) quum nihil certius mihi constet, incertum relinquere malo. Nec quidam explicatius reperies apud Giank. Carli della Spedizione degli Argonauti in Colco; et apud Girol. Carli della Argonauti, e i posteriori fatti di Giasone e di Medea.

expeditione cecinisse, equidem pro certo habeo. Cui non dicta erat Argo, ex Homeri sententia [4])? At idem ego nihil horum carminum aetati Homericae supervixisse persuasum habeo. Ferebat ita quum incerta memoriae custodia, cui soli carmina tradebantur, tum Graecorum, semper nova sectantium, libido. Verissime Homerus:

τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται [5]).

Priorum vatum carmina lubenter oblivioni mandabant Graeci, quum illustriora gentis suae facinora celebrari coepissent, in ea inprimis terra, unde majores olim difficilem, sed celebratissimam victoriam reportaverant. Quid? quod Argonautica carmina numquam in Asia minore apud Jones viguisse mihi admodum probabile est; eorum, ut omnis Graecae poesis, patria fuisse videtur Thessalia, unde prima illa Graecorum expeditio suscepta erat. Post Homericorum carminum florem res Argonautarum ex antiquitatis fama et vetusta memoria restauratae sunt a poetis cyclicis [6]); e quorum carminibus logographi postea hauserunt, quae de hac re tradidisse dicuntur, ut Pherecydes, Herodorus, Dionysius Milesius, alii. Epimenides Cretensis quoque Colchicam expeditionem enarrasse fertur 6500 versibus [7]).

---

[4]) Odyss. 12, 70. Ἀργὼ πασιμέλουσα. De re ipsa cf. Zoëgam in Dissertt. a Welckero editis p. 297. Ottofr. Mueller. Orchom. p. 259. 278. Weichert. de Apoll. Rh. p. 100. Miramur Fr. Schlegelii judicium, qui plane contrarium affirmat, nec quidquam epici carminis, nisi de rebus Trojanis, ante Homerum notum fuisse putat (Gr. poesis histor. p. 50. 52.); quam opinionem Hugius quoque tenet (de mytho p. 15.).

[5]) Od. 1, 351. Wolf. Proleg. ad Hom. p. XCIV. Lenz. in Supplem. ad Sulzer. T. 2. p. 26.

[6]) De his vide Fabric. Bibl. Gr. T. 1. p. 379. sq. Harl. Jacobs. Proleg. ad Tzetz. Posthom. p. XXI. Heyne exc. I. ad Virg. II. Wolf. Proleg. ad Hom. p. CXXVI. Creuzer. ars hist. Gr. p. 25. sqq. Weichert. de Apoll. Rh. p. 141. Mohnike hist. litt. Gr. T. 1. p. 189-198.

[7]) Diog. Laert. 1. §. 111. Suid. T. 1. p. 821. Groddeck. in Bibl. vet. lit. et art. P. II. p. 78. sq. Fr. Heinrich. de Epimenide Cret. p. 130 - 132. Heyne ad Apollod. T. 2.

In pluribus horum carminum Orphei mentionem factam esse, satis probabile est.

Sed haec in conjectura, quamvis satis certa, posita sunt. Ad certiora, quae de Terpandro veteres tradiderunt, revertor. Itaque is, quum in pluribus rebus, tum in hoc quoque Orpheo simillimus fuisse narratur, quod eodem carminum genere, quo ille, usus sit, adeoque numerorum Orphicorum aemulus fuerit. Testem hujus rei unum tantum afferre possumus, sed eum satis idoneum, Glaucum Rheginum, quippe cujus opus de antiquis poetis et musicis saepius a veteribus laudetur [8]). Sed etiamsi mi-

p. 71. Omnino vix est, quod de antiquis Argonauticorum scriptoribus operose agamus post Weicherti diligentiam, hac in re nobis probatam, p. 139-223.

[8]) σύγγραμμα περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ μουσικῶν. Plutarch. de mus. T. 2. p. 1132 f. Xyl. p. 632. Wyttenb. Diog. Laert. 8 et 9. Gyrald. Op. T. 2. p. 448. a. Vossius de nat. art. 3, 20, 1. T. 3, 3. p. 89. a. Op. Jonsius de scriptt. hist. phil. 1. p. 29. Fuerunt quidem, qui illius libri auctorem perhiberent Antiphontem, ex decem oratoribus unum (Plutarch. vit. X. orat. Antiph. Jonsius l. l. p. 29.: εἰσὶ δ᾽ οἱ καὶ τὸ Γλαύκου τοῦ Ῥηγίνου περὶ ποιητῶν βιβλίον εἰς Ἀντιφῶντα ἀναφέρουσιν.). Qui si revera illud opus concinnavit, locupletiorem etiam testem habemus. Ex hoc igitur opere Plutarchus l. l. refert: ἐζηλωκέναι δὲ φησὶ τὸν Τέρπανδρον Ὁμήρου μὲν τὰ ἔπη, Ὀρφέως δὲ τὰ μέλη. Ὁ δ᾽ Ὀρφεὺς οὐδένα φαίνεται μεμιμημένος· οὐδεὶς γάρ πω γεγένητο, εἰ μὴ οἱ τῶν αὐλῳδικῶν ποιηταί· τούτοις δὲ κατ᾽ οὐδὲν τὸ Ὀρφικὸν ἔργον ἔοικεν. Quae posteriora verba non videntur Glauci vel Antiphontis esse, sed ex Plutarchi mente adjecta. De Glauci testimonio cf. Voss. inst. Poet. 3. 15. 1. Lamber. Prodr. hist. litt. p. 172. Valkenaer. de Aristob. Jud. p. 84. Creuzer. Symbol. T. 3. p. 115 (158.) et 346. (356.) Hanonius disq. metaph. p. 351. Caeterum illud quoque animadverti velim, quod Glaucus de Terpandro, Homericorum carminum aemulo, tradidit. Quod quomodo intelligendum sit, ex eodem Plutarchi loco apparet, ubi narrat, Terpandrum non modo suis, sed Homeri quoque versibus νόμον περιτιθέντα ᾄδειν ἐν τοῖς ἀγῶσι, et paulo post: τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς, ὡς βούλονται, ἀφοσιωσάμενοι, ἐξέβαινον εὐθὺς ἐπί τε τὴν Ὁμήρου καὶ τῶν ἄλλων ποίησιν· δῆλον δὲ ταῦτ᾽ ἐστὶ διὰ τῶν Τερπάνδρου προοιμίων. De his Terpandri prooemiis, quibus carminis heroici, adhibitis modis musicis, (νομοῖς) solenni recitationi praelusit. vid. Mitscherlich. ad Hym. in Cer. p. 101. Groddeck. de hymn. hom. p. 21. Wolf. ad Hesiod. Theog. p. 60. Proleg. ad Hom. XCIX. CVII. Heyne de Musis, in Comm. Gotting. T. 8. p. 46. Sed Pythagoras etiam versus Homericos (Il. 17, 51 sqq.) μετὰ λέξεως ἐμμελέστατα cecinisse perhibetur. Porphyr. vit. Pyth. Jamblich. c. 15.

nus idoneum illius narrationis auctorem haberemus, res tamen per se satis probabilis videbitur iis, qui reputaverint, veteres Terpandrum alterum quasi Orpheum habuisse, multaque ejus inventa ad antiquissimum illum vatem retulisse. Notum est, a Terpandruo lyram, cui quatuor antea chordae fuerant, septem fidibus instructam esse; quam rem non sine sua ipsius laude versibus celebraverat poeta, quos affert Strabo:

Ἡμεῖς τοι τετράγηρυν ἀποστρέψαντες ἀοιδήν,
ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους κελαδήσομεν ὕμνους.
Nos tibi mutato chordarum quattuor usu,
Jam nova per septem modulamur carmina nervos.

Genuini sint, et ab ipso Terpandro profecti, nec ne, nihil nunc attinet quaerere; rem autem certam esse, nemo in dubium vocabit [9]), qui ubique certa lege historica uti didicerit. Illa vero lyra, quam Terpander primus septem fidibus intenderat, ad ipsius deinde Orphei inventionem relata est, quum philosophi, qui ex Pythagorae disciplina prodierant, chordarum numero symbolicam rationem quandam, a siderum notionibus petitam, tribuere coepissent.

---

vid. Cuper. de consecr. Herm. p. 9. Heyne Opusc. T. 1. p. 174. Simili modo Solon elegiam suam ἐν ᾠδῇ διεξῆλθε. Plutarch. v. Solon. c. 82. c. Hinc recte intelligetur, quid voluerit Clemens Alex. Strom. 1. p. 308.: Μέλος δὲ αὖ πρῶτος περιέθηκε τοῖς ποιήμασι, καὶ τοὺς Λακεδαιμονίων νόμους ἐμελοποίησε Τέρπανδρος ὁ Ἀντισσαῖος. Dicit auctor ἐμελοποίησε h. e. cantum et musicos modos addidit, quum jam ab initio leges Lacedaemoniorum versu heroico latae essent. Nam si quis ex hoc loco colligere vellet, Spartanorum leges (ῥήτρας) soluta oratione fuisse compositas, et postea a Terpandro ad metra revocatas (ut Ottofr. Mueller. Doriens. 1. p. 134. putat, qui frustra vituperat Wolfium. Prolegg. p. LXVIII., optime de hac re judicantem); is haud dubie se coactum videret, ex eodem loco extorquere, alia quoque poemata, ut Homeri, ante Terpandrum fuisse pedestri oratione recitata. Caeterum non Lycurgi tantum leges canebantur, sed aliae quoque aliarum civitatum, ut Charondae a Thuriis, narrante Hermippo et Martiano Capella ap. Voss. de art. poet. 6, 6. T. 3, 2. p. 16. 17. Op. cf. de instit. poet. 3, 13. 4. T. 3, 2. p. 152 b.

9) Strabo 13. p. 919: καθάπερ ἐν τοῖς ἀναφερομένοις ἔπεσιν εἰς αὐτὸν λέγεται. Meier-Marx. Ephori Frag. p. 208. cf. Gyrald. Op. T. 2. p. 447. a.

Quam piam fraudem illis facile largimur; non tam facile iis videtur ignoscenda esse, qui, divina quadam ingenii virgula superbi, falsum clamant, quod temporum rationes certissimum esse evincunt. Quid autem illa de Terpandro narratione potest verius esse, quum satis nota inter veteres lis fuisse videatur, quam Lacedaemonii ob immutatam antiquam musicam celebratissimo illi poetae intenderant? Nihil enim ex Lycurgi instituto de prisca musica immutari fas erat. Quapropter Terpander mulctatus, ejusque cithara paxillo suspensa est in perpetuam rei memoriam [10].

Neque deerat Terpandro ea feroces hominum animos fidibus suis deliniendi facultas, qua Orpheum tam mirum in modum excelluisse e Graecorum fabulosa memoria cognoscimus. Etenim orta aliquando inter Lacedaemonios discordia, quum spes, eam mox compositum iri, esset nulla, oraculum adiisse (ex Zenobii narratione) dicuntur. Cujus monitu quum Terpander ex Lesbo arcessitus esset, is furibundas illorum mentes musices dulcedine et cantus suavitate delenivit, discordias sedavit, pristinamque pacem restituit. A quo inde tempore Lacedaemonii quotiescunque cantorem aliquem, carmen fidibus modulantem, audirent, protinus exclamasse narrantur: *μετὰ Λέσβιον ᾠδόν;* quod dictum in proverbium mox abiit, de iis,

10) Athen. 14. p. 628. b. Plut. Apophth. Lac. Lil. Gyrald. T. 2. p. 448. b. Gerh. Voss. de nat. art. 1, 4, 46. T. 3, 3. p. 20. a. Freret. Defens. Chronol. contra Newtonem p. 186. Quibus auctoribus debeatur fabula de Terpandro, Orphicam lyram sibi vindicante et pro sua venditante (ap. Nicomachum de mus. II. p. 129. ed. Meibom.), vel ea de eodem Terpandro ejusdem lyrae herede (Phanocles ap. Ruhnk. ep. crit. II. p. 302. Philostrat. Heroic. p. 154. ed. Boisson. cujus v. not. cf. Creuzer. Symbol. T. 3. p. 346. (356.)), facile apparet ex iis, quae de philosophis Pythagoricis modo diximus. Neque causa admodum obscura est, cur ad Terpandrum veteres ejusmodi res potissimum retulerint; utpote quem fidam Orphei imaginem habere consuerant, quia multa haud dubie de Orpheo ex antiquitatis memoria restauravit et amplificavit. Alioquin enim non assequor, cur veteres tot Terpandri inventa in Orphei nomen cumulaverint; quum tamen alii multi fuerint antiquitatis poetae et musici, aeque celebres, quibus veteres nihil ejusdem honoris tribuerunt.

iis, qui secundas, non priores partes assequuntur [11]). Quanto vero honore Terpander etiam post obitum apud Lacedaemonios, illius rei memores, fruitus sit, multa veterum documenta comprobant. Apud Jones quoque et Lesbios gratam sui memoriam reliquerat; utpote quibus persuasum esset, illius praesidio, ex mirifico et vocis et citharae cantu quaesito, plerosque aegrotantes sanitati esse restitutos. Famam ejus auctoritatemque haud parum adjuvit quater deinceps reportata e Pythiorum ludorum solennibus victoria, primaque in Carneis certaminibus musicis, quae Spartae committebantur, sibi acquisita palma [12]). Nihil igitur mirum, si Graeci

[11]) Hujus proverbii origo a poetis Graecorum comicis repetenda videtur; quod inde non collegerim, quod Cratinus, lepidissimus sui temporis comicus, ejus mentionem fecisse dicitur; sed quod innumera paene similis generis proverbia ex uberrimo illo facetiarum Graecarum fonte profluxerunt. De illo vid. Plut. de Mus. T. 2. p. 1136. e. Athen. 14. p. 635. Allusit Aristides (ad Rhodios), judice Lilio Gyraldo T. 2. p. 447. e.

[12]) Gyrald. T. 2. p. 448. b. Freret. Defens. Chronol. p. 186 sq. Gillies. hist. Gr. T. 1. p. 268. ed. Bas. Perizonius ad Aelian. V. H. 12, 50. Wesseling. ad Diodor. T. 2. p. 639. Mirifica illa vis, quam vetusta Graecorum musica in aegrotos et in alios, qui magnis animi motibus laborabant, exercuit, haud uno exemplo comprobatur. Pulchellas quasdam fabellas de Pythagora conservavit Jamblichus (B. p. 126. ed. Kiesl. cf. Eschenbach. Epig. p. 177.). Thaletas Cretensis simili, ac Terpander, ratione, morbos, quin etiam pestilentiam fugasse dicitur. Meurs. Cret. 4. 12. Salmas. Exerc. Plin. p. 171. Fabric. B. Gr. T. 1. p. 296. Harl. Meier-Marx. Ephor. Fr. p. 166. Gyrald. T. 2. p. 87. c. Sophoclis ars canendi, qua ventorum vim et impetum delenivit et inhibuit, nota est (ex Philostrato vit. Apoll. VIII, 7, 8. cf. Lessing. vit. Sophocl. p. 148., qui fabulam haud inepte explicat.). Sed jam Sirenum cantui cesserant compositi venti et tempestates (Schol. ad Hom. Od. 12, 159. v. H. Voss. Ep. Myth. II. p. 40 sq.). Asclepiades delirantes hominum mentes, et morbo conturbatas pristinae reddidit sanitati. Ismenias Thebanus hominibus ischiadicis et febricitantibus saepe per symphoniam opem tulisse dicitur. Similia facinora attribuuntur Arioni Lesbio, Damoni, Empedoli, Xenocrati, aliis (v. Lil. Gyrald. T. 2. p. 24.). Illam vero antiquioris musices vim et gravitatem ne quis novato aliquo sono vel nervo frangeret, severa Lacedaemoniorum lege vetitum erat (v. Plutarch. de Mus. T. II. p. 1131. cf. Heeren. Ideen. T. 3. P. 1. p. 482. ed. 2. p. 476.). Immutata enim musica, immutari quoque reipublicae forma solet, ex veterum sententia. Itaque Lacedaemonii pluries animadverterunt in eos, qui male ingeniosi simplicem et veram musicam novis inventis labefece-

tam praeclarum et mirificum poetam et musicum in omnibus fere rebus similem sibi finxerint Orpheo, cantu citharaeque vocisque; non tantum seriores Graeci, sed ipsi jam Terpandri aequales: Orphei enim memoria apud Lesbios, qui Aeoles erant, et ex iis ipsis regionibus, ubi Orphicam poesin olim floruisse probabile est, in hanc insulam coloni deducti, nullo tempore plane abolita est. Probant hoc quum multae de Orpheo fabulae, ad solam Lesbum pertinentes, tum plura, quae omnia omnium fabularum ludibria superant, Lesbiorum monumenta, quibus inde ab antiquissimis temporibus Orphei memoriam conservare voluerant. Itaque non video, quid vel incredibilem vel falsam nobis reddere possit vetustam Graecorum

---

rant et corruperant; in Timotheum Milesium, Phrynnidem et, quem supra nominavimus, Terpandrum (Cic. de legg. 2. Plutarch. de Mus. II. p. 1134. b. Athen. 14. p. 628. Gerh. Voss. de n. a. 1, 4, 46 et 50. T. 3, 3. p. 20. a. et 21. a.). Quod reliquum est, constanter a veteribus traditur, Terpandrum primum νόμους adhibuisse lyricos (Suid. v. Τέρπ. Plutarch. l. l.). Ab ejus nomine νόμος quidam *Terpandrius* appellatus est; et Boeotius, Aeolius, Trochaeus, Oxysque eodem auctore debentur. Hos musicos modos haud parum deinde auxit et amplificavit Arion Methymnaeus, Terpandri popularis, dithyramborum inventor. Quum vero hi Lesbii poetae antiquioribus carminibus, in Deorum laudes compositis, ejusmodi modos adjunxissent, ejusdem inventi auctores ii ipsi poetae haberi coeperunt, quorum carminibus illi usi essent (Suid. Τέρπ. Plut. de m. l. l. Gyrald. T. 2. p. 447. c. Marm. Par. ep. 49. 50. p. 26. ed. Chandler.). Chrysothemidi Cretensi certe hoc contigit (Procl. ap. Phot. v. Voss. inst. poet. 3, 13, 1. T. 3, 2. p. 152. b.), et Philammoni Parnasio (Heraclid. Pont. ap. Plut. 3. 5. Schol. ad Odyss. 16, 432. Syncell. Chronogr. p. 162. Fabric. 1. p. 214. Harl. Ottofr. Mueller. Dor. 1. p. 349.). Nec dubito, quin similis honor Orpheo jam tributus sit a Glauco Italo (ap. Plut. de Mus. II. p. 1132 f.). — Idem ille Terpander primos elegos cecinisse perhibetur; id quod Plutarchus ex ipsis Terpandri carminibus affirmasse sibi visus est (v. Fabric. T. 1. p. 294. Harl. Gyrald. T. 2. p. 447. d.). Unde apparet, hanc rem non ex Plutarchi fide dijudicandam esse, sed ex eorum auctoritate, quos ille sequutus est. Itaque non video, quid Conr. Schneiderum commoverit (in Studiis Creuzerii et Daubii T. 1. p. 12.), ut a vetustiore auctore Terpandrum elegici carminis inventorem perhibitum esse negaret. — Pindarus scoliorum quoque inventorum laudem ad Terpandrum retulit, narrante Plutarcho l. l. Πίνδαρος φησὶν ὅτι τῶν σκολίων μέλων Τέρπανδρος εὑρετὴς ἦν cf. Gillies. hist. Gr. T. 1. p. 269. ed. Bas.

narrationem, quam Glaucus Rheginus sequutus est, de Terpandro, Orphicorum carminum aemulo. Num genuina illa fuerint cantica, et ab ipso Orpheo profecta, an immutata et orationis et sententiarum forma ad Terpandri tempora pervenerint, nunc non quaero.

V.

Post Terpandri aevum vetustae famae varietatem et obscuritatem, quam de Orpheo superfuisse satis certum videtur, restaurarunt primi logographi Graecorum, interjecto temporis spatio centum et quod excurrit annorum; per quod vix credibile est, nullam Orphei mentionem factam esse [13]). Etenim in eam aetatem pulcherrimus lyricae poesis flos incidit; nec poterat profecto in tam immensa lyricorum carminum copia illius poesis auctor sileri. Itaque ex his lyricis, et antiquioribus epicis carminibus, cyclicis in primis, et Argonauticis, quae supra memoravimus, vulgatam de Orpheo famam collegerunt, et ad ordinem quendam revocarunt logographi, partim fusius, partim obiter; sed nulla fere adhibita judicii vi

---

[13]) Terpander floruit circa Ol. 26. secundum marmoris Parii auctoritatem, quae fortasse hac in re ab elencho τῶν Καρνεονικῶν pendet (v. Freret. Defens. Chron. p. 185. cf. et Ottofr. Mueller. Dor. 1. p. 134.): ἀφ' οὗ Τέρπανδρος ὁ Λερδίνεος ὁ Λέσβιος τοὺς νόμους τοὺ[ς π]ο[λλο]ὺν [κιθα]ρῳδεῖσθαι αὐλήτ[ας ἐδί]δαξε, καὶ τὴν ἔμπροσθε μουσικὴν μετέστησεν, ἔτ[η] ΗΗ ΗΓΔΔΔΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Δρωπίδου. ep. 49. 50. p. 26. Ch. cf. Hellanicum ap. Athen. 14. p. 635. Consentit Eusebius; et inter recentiores Marschal. et Petavius. vid. Squire. Essai. p. 127. Certe in seriora tempora Terpandri aetas non incidit. Antiquiorem quidem fecerat Hieronymus in lib. 5. περὶ ποιητῶν (ap. Athen. 14, 9. p. 635. Gyrald. Op. T. 2. p. 148. b.), affirmans, eum Lycurgi aequalem fuisse: quam sententiam, a Newtono cupidius probatam, docte refutavit Freret. Def. Chron. p. 185 - 188. Quapropter causam non video, quae Fr. Aug. Wolfium (Prolegom. ad Hom. p. xcix.) commoverit, ut Terpandrum ad Ol. 33. retruderet. — Logographorum Graecorum aetas incepisse videtur ab Ol. 56. Nomina eorum recensentur a Dionys. Halic. π. τοῦ Θουκ. χαρ. T. 2. p. 138. 146. Sylb. T. 6. p. 819. R.; et accuratius de iis egit. V. D. in Museo Crit. Cantabr. T. 1. p. 220 sq.

et subtilitate; qualem hodie in bono critico intelligentes harum rerum aestimatores requirunt. Alia tunc erant tempora, alii mores. Etenim varios et dissonos antiquitatis rumores vel indicasse satis habebant, vel, ubi de judicio suo aliquid interponere auderent (id quod raro fiebat), novis fabulis atque commentis se praebebant: de rerum traditarum causis et rationibus ne cogitasse quidem videntur. Orationis genus, quo utebantur, nondum plane exuerat poeticum colorem; unde origo historiae satis apparet [14]).

---

14) Strabo (1. p. 12.) certe in historiis conscribendis ita versatos esse affirmat Pherecydem, Cadmum, Hecataeum. cf. Strabo. p. 34. Demetr. de Eloquut. §. 12. p. 8. ed. Sch. Plato. Tim. T. 3. p. 22. Falsissimum est Ciceronis judicium, qui (de orat. II, 12.): "Graeci quoque, inquit, sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso — Sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerant." cf. Plin. H. N. 7, 57. 5, 31. Mirum profecto est, omnes fere, qui de antiquis Graecorum logographis egerunt, ab isto Ciceronis loco profectos esse; Gyrald. Op. T. 2. p. 29. Heyne Apollod. T. I. p. xxxiii. T. II. p. 450. Exc. I ad Virg. II. Creuz. hist. ant. Gr. Fr. p. 104. 105. cf. Heyne de hist. scrib. pr. Comm. Gott. V. 14. p. 134. 129. de fide hist. aet. myth. ibid. p. 110 sq. Bougainville. Mém. de l'Acad. T. 29. p. 27 sq. Sturz. Pherecyd. Fr. p. 12. 66. 229 sq. Hellanici Fr. p. 77. Gillies. hist. Gr. 1. p. 3. et p. 235. Bas. Hug. Inv. litt. p. 48. de mytho p. 19. Fr. Schlegel. hist. poes. Gr. p. 23. Meier-Marx. Ephori Fr. p. 75 sq. Goeller. de situ et orig. Syracus. p. 196. Weichert. de Apoll. Rh. p. 146. Meliora de hac re vid. ap. Creuzer. ars hist. Gr. p. 106 et p. 80 sq. Fr. hist. ant. Gr. p. 15. 17. 48. Heeren. Ideen. T. 3. P. 1. p. 460-469. et N. Falk. de hist. int. Gr. orig. et nat. p. 8 sq. Nescio sane, quo fato factum sit, ut omnia logographorum illorum scripta tam mature interciderint, ut, qui explicatiorem eorum memoriam ad nos pertulerunt, ea vix nosse videantur. Nam quae seriore tempore sub eorum nominibus circumferebantur scripta, ea incertae pleraque fidei erant, ut acutus harum rerum scrutator jam olim censuit, Dionysius Hal. T. 6. p. 863. Reisk. cf. Suid. s. v. Ἑκαταῖος. v. Heyne. Comm. Gott. Vol. 14. p. 131. 137. Creuz. Fr. hist. p. 16. 37. Cadmi Milesii quidem nomen varios errores et hodie et olim produxit: sic Clemens Alex. Str. 6. p. 752. Pott. istud ad Cadmum Tyrium traduxit, quem magna historiarum volumina *conscripsisse* refert credulus. Neque multum ab his ineptiis abest Hugius de inv. litt. p. 145., monente Creuz. Fr. hist. p. 37 sq. 20. De Cadmo Milesio conferri merentur, quae post Salmas. ad Solin. p. 590 b. docte et accurate disputavit Dan. Beck. de fontt. hist. pop. Gr. ante vernacul. vers. Goldschmidtii hist. Gr. p. xxi. cf. Creuz. Stud. T. 2. p. 294.

Ingenio plus tribuere solebant, quam judicio et rationi, quae veritatem unice anquirit. Sed facile hi primi rerum, vel potius fabularum Graecarum scriptores veniam impetrabunt apud eos, qui illam aetatem rerum dijudicandarum sollertia nondum subactam fuisse apud animum suum reputaverint; et qui difficultates, quibus in multiplici et varia fabularum farragine tractanda iis conflictandum erat, ut eam ad historiae fidem revocarent, rite perspexerint. Ne ea quidem aetas, quae florentissimum rerum publicarum statum apud Graecos complectitur, non poterat non indulgere poetarum commentis et fabularum ludibriis; in eo potissimum genere, quod longinqua temporis vetustate jamdudum erat obscuratum. Omni omnino tempore impius inter Graecos mos erat, novissima et nobilissima inventa atque instituta pro antiquissimis habendi [15]). Haec vero criminatio

---

[15]) Ut verissimum habeo Fr. A. Wolfii judicium de vetustiorum illorum Graecorum *ἀνιστορησίᾳ* et *ἀκρισίᾳ*, ejusque causis (Prolegg. p. XLVI-LVI et Praef. II. ad Hom. p. XII-XIV.); ita falsissima recentissimorum quorundam criticorum ratio mihi videtur, qui nihil veri, nihil sani et incorrupti ab istis scriptoribus traditum esse clamitant; ac omnia suo potius ingenio et qualicunque animi sententiae indulgere malunt, quam antiquorum auctorum fidei quidquam tribuere. Sciunt omnes, qui nuperrimam de Homero sententiam, a Schubarthio propositam, forte cognoverint, quantopere omnis antiquitatis fides pessimo exemplo labefactata sit. Qui vir doctus jam ob ejusmodi animadversiones, quales profudit p. 14. 32. 42. 66. 279. non poterat vulgatam, constanti omnium aetatum consensu firmatam, sententiam de Homero, ex Graeco sanguine procreatum, probare; quia scilicet ab ineptis *Graecorum* fabulatoribus tradita et propagata esset. Nunc gloriari pauper olim Homerus potest, se esse Trojano a sanguine cretum, e nepotibus pii Aeneae, fama super aethera noti (cf. Spohn. de Theocr. Adon. p. 5.). Suaviter, ut opinor, risisset Homerus cum levibus Graecis suis, si tam ficulneis argumentis convictus, se Trojanum factum vidisset; sicuti haud dubie suaviter risit, quum Meleager olim, similibus argumentis inductus, affirmasset, eum fuisse Syrum: Athen. 4. p. 157. b. ex Nicionis scripto: Μελέαγρος ὁ Γαδαρεὺς ἐν ταῖς Χάρισιν ἐπιγραφομέναις ἔφη, τὸν Ὅμηρον, Σύρον ὄντα τὸ γένος κατὰ τὰ πάτρια ἰχθύων ἀπεχομένους ποιῆσαι ἀρχαίους, δαψιλείας πολλῆς οὔσης κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον. (De hoc Meleagro, primae anthologiae conditore, qui haud dubie per jocum de Homero ita statuit v. Athen. 11. p. 502. c. d. Strab. 16. p. 759. b. Jacobs. Proleg. ad Anthol. p. 36 sq.). Ex hoc Athenaei loco idem refert

non potest eam vim habere, ut, quae Graeci de antiquitate sua referunt, protenus rejicienda esse judicemus: immo unum saepius momentum, etsi perperam traditum ab illis, et ad aliud, quam ad quod conveniebat, traductum, majoris facio, quam sexcenta recentissimorum criticorum somnia, quibus veterum scriptorum fidem et auctoritatem audacissimo conatu infringere gestiunt; eorumque levitati suaviter illusisse sibi videntur. Difficilior quidem et operosior est labor, ex variis, et corruptis interdum, veterum narrationibus veritatis vestigia extricare, quam ut iis placere possit, qui ingenio indulgent, omnemque antiquum ducem lubenter detrectant.

Verumtamen multa quoque sunt ineptissime a Graecis tradita, quae profecto non merentur, ut aliquis iis immoretur. Sic plurimi docti indoctique de ridicularum fabellarum veritate nihil dubitarunt, quibus Homerus vel Sisyphi Coi, qui Teucri *scriba* fuerat, vel Dictyis Cretensis, *scribae* Idomenei, *memorias* rerum ad Trojam gestarum nescio ubi locorum reperisse, indeque Iliadem suam confecisse narratur [16]). Quis porro

---

Eustath. ad H. 11. p. 814, 40. Neque validiora argumenta ea putanda sunt, quae jam ab antiquioribus proponebantur de Homero, ex Aegypto oriundo; ut ab Alexandro Paphio (Eustath. ad Odyss. 4. p. 476.) et aliis pluribus: nam Clemens alicubi dicit, ὅμηρον οἱ πλεῖστοι Αἰγύπτιον φαίνουσιν. Nec multum ab hac ratione abest, si quis hodie ex imaginibus quibusdam, quae ex antiquae Aegypti monumentis nobis restant (Descript. de l'Egypte II. Antiqq. pl. 47. 83. 96. et p. 315.), et aliquot fortasse seculis post Homerum confictae sunt, Iliadem et Odysseam *ante Homerum* resuscitare velit (ut Creuzer. in Epp. ad Herm. p. 124.). Sed mittamus haec.

[16]) Gyrald. T. 2. p. 64-89. Jonsius hist. phil. scr. 1. p. 21. Borrichius de poet. p. 8. De Sisypho Coo v. Tzetz. Chil. 5, 29. Ad idem commentorum genus alia multa nomina poetarum Homero antiquiorum spectant, quae conficta esse videntur, ut Homerus haberet, unde canendi materiam fraudulenter peteret; Pronapides, Creophilus, Pitthaeus, Palamedes, ejusque discipulus Corinnus sive Corinaeus Iliensis, qui fervente adhuc bello Trojano Iliadem *conscripsisse* dicitur, Dares Phrygius, Protanides Atheniensis, Horus Samius, Thymitus, Isatides, Asbolus, Drymon, Euechus, Palaephatus; Phantasia Memphitis, Nicarchi filia; Helena, Musaei Atheniensis filia. v. Eustath. Proleg. ad Hom. Ptolem. Hephaest. in Photii Bibl. ecl. 190. p. 248, 18. Hoesch.

ignorat Graecorum levitatem, qua magna volumina, et ligata et soluta oratione *perscripta*, ad ea tempora rejiciebant, quibus Pelasgorum caeci greges omnem Graeciam occupaverant? — "Mirum est, inquit Plinius, quo procedat Graeca credulitas; nullum tam impudens mendacium est, quod teste careat".

At jam inter ipsos Graecos, pauciores quidem numero, erant, qui popularium suorum credulitatem animadverterent et castigarent. Hecataeus, logographorum unus, historiae exordium ita auspicatus est, ut diceret, se haec scribere, ut sibi videantur vera esse; nam Graecorum, inquit, sermones maximam partem ridiculi sunt ex mea qualicunque sententia [17]). Neque tamen hic acerbus popularium suorum castigator ipse prorsus alienus fuit a crimine, cujus insimulaverat alios. Etenim fabulosum Phrixi arietem humana voce loquutum esse, ex ejus historiis referunt veteres [18]). Quem lepidum errorem facilius logographo ignoscent, qui Herodoto etiam, historiae patri, cujus dictum: *Graeci multa inepte fabulantur*, pluries in opere ejus recurrit, simile quid in rebus mythicis dijudicandis hic illic accidisse sciant [19]).

Leo. Allat. de patr. Hom. c. 4. Passow. Musae. p. 216. De similibus commentis vid. Wolf. Proleg. p. XLVIII sq. et LXVIII.

17) Demetr. de eloquut. §. 12. p. 8. ed. Schn. ipsa Hecataei verba servavit: τάδε γράφω, ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσίν cf. Creuzer. hist. Gr. Fr. p. 15. Valkenaer. de Aristob. Jud. p. 78. Boettiger. de tib. inv. in Wielandi Mus. Att. 1, 2. p. 281. 282., qui hanc criminationem haud male refert ad rerum Atticarum scriptores. Quoties vero seriores auctores, Pausanias in primis, improbam Graecorum, de antiquitate sua aniliter fabulantium, libidinem questi sunt?

18) ὅτι δὲ ἐλάλησεν ὁ κριὸς καὶ Ἑκαταῖος φησίν. Schol. ad Apoll. Rh. 1, 225. cf. Creuzer. hist. Gr. Fr. p. 48. Longe saniore judicio usus est Hecataeus in fabula de Cerbero, inferorum cane, ap. Pausan. 3. p. 113.

19) Herod. 1, 60. 2, 3. et 45. Ἕλληνες λέγουσι μάταια πολλά. Ottofr. Mueller. Orchom. p. 105. Foucher. Mém. de l'Acad. d. Inscr. T. 35. p. 6 sq. Herodotus quoque,

non potest eam vim habere, ut, quae Graeci de antiquitate sua referunt, protenus rejicienda esse judicemus: immo unum saepius momentum, etsi perperam traditum ab illis, et ad aliud, quam ad quod conveniebat, traductum, majoris facio, quam sexcenta recentissimorum criticorum somnia, quibus veterum scriptorum fidem et auctoritatem audacissimo conatu infringere gestiunt; eorumque levitati suaviter illusisse sibi videntur. Difficilior quidem et operosior est labor, ex variis, et corruptis interdum, veterum narrationibus veritatis vestigia extricare, quam ut iis placere possit, qui ingenio indulgent, omnemque antiquum ducem lubenter detrectant.

Verumtamen multa quoque sunt ineptissime a Graecis tradita, quae profecto non merentur, ut aliquis iis immoretur. Sic plurimi docti indoctique de ridicularum fabellarum veritate nihil dubitarunt, quibus Homerus vel Sisyphi Coi, qui Teucri *scriba* fuerat, vel Dictyis Cretensis, *scribae* Idomenei, *memorias* rerum ad Trojam gestarum nescio ubi locorum reperisse, indeque Iliadem suam confecisse narratur [16]). Quis porro

Eustath. ad Il. 11. p. 814, 40. Neque validiora argumenta ea putanda sunt, quae jam ab antiquioribus proponebantur de Homero, ex Aegypto oriundo; ut ab Alexandro Paphio (Eustath. ad Odyss. 4. p. 476.) et aliis pluribus: nam Clemens alicubi dicit, Ὅμηρον οἱ πλεῖστοι Αἰγύπτιον φαίνουσιν. Nec multum ab hac ratione abest, si quis hodie ex imaginibus quibusdam, quae ex antiquae Aegypti monumentis nobis restant (Descript. de l'Egypte II. Antiqq. pl. 47. 83. 96. et p. 315.), et aliquot fortasse seculis post Homerum confictae sunt, Iliadem et Odysseam *ante Homerum* resuscitare velit (ut Creuzer. in Epp. ad Herm. p. 121.). Sed mittamus haec.

[16]) Gyrald. T. 2. p. 61-89. Jonsius hist. phil. scr. 1. p. 21. Borrichius de poet. p. 8. De Sisypho Coo v. Tzetz. Chil. 5, 29. Ad idem commentorum genus alia multa nomina poetarum Homero antiquiorum spectant, quae conficta esse videntur, ut Homerus haberet, unde canendi materiam fraudulenter peteret; Pronapides, Creophilus, Pitthaeus, Palamedes, ejusque discipulus Corinnus sive Corinaeus Iliensis, qui fervente adhuc bello Trojano Iliadem *conscripsisse* dicitur, Dares Phrygius, Protanides Atheniensis, Horus Samius, Thymitus, Isatides, Asbolus, Drymon, Eneclus, Palaephatus; Phantasia Memphitis, Nicarchi filia; Helena, Musaei Atheniensis filia. v. Eustath. Proleg. ad Hom. Ptolem. Hephaest. in Photii Bibl. ccl. 190. p. 248, 18. Hoesch.

ignorat Graecorum levitatem, qua magna volumina, et ligata et soluta oratione *perscripta*, ad ea tempora rejiciebant, quibus Pelasgorum casci greges omnem Gracciam occupaverant? — "Mirum est, inquit Plinius, quo procedat Graeca credulitas; nullum tam impudens mendacium est, quod teste careat".

At jam inter ipsos Graecos, pauciores quidem numero, erant, qui popularium suorum credulitatem animadverterent et castigarent. Hecataeus, logographorum unus, historiae exordium ita auspicatus est, ut diceret, se haec scribere, ut sibi videantur vera esse; nam Graecorum, inquit, sermones maximam partem ridiculi sunt ex mea qualicunque sententia [17]). Neque tamen hic acerbus popularium suorum castigator ipse prorsus alienus fuit a crimine, cujus insimulaverat alios. Etenim fabulosum Phrixi arietem humana voce loquutum esse, ex ejus historiis referunt veteres [18]). Quem lepidum errorem facilius logographo ignoscent, qui Herodoto etiam, historiae patri, cujus dictum: *Graeci multa inepte fabulantur*, pluries in opere ejus recurrit, simile quid in rebus mythicis dijudicandis hic illic accidisse sciant [19]).

Leo. Allat. de patr. Hom. c. 4. Passow. Musae. p. 716. De similibus commentis vid. Wolf. Proleg. p. XLVIII sq. et LXVIII.

[17]) Demetr. de eloquut. §. 12. p. 8. ed. Schu. ipsa Hecataei verba servavit: *τάδε γράφω, ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσίν* cf. Creuzer. hist. Gr. Fr. p. 15. Valkenaer. de Aristob. Jud. p. 78. Boettiger. de tib. inv. in Wielandi Mus. Att. 1, 2. p. 281. 282., qui hanc criminationem haud male refert ad rerum Atticarum scriptores. Quoties vero seriores auctores, Pausanias in primis, improbam Graecorum, de antiquitate sua aniliter fabulantium, libidinem questi sunt?

[18]) *ὅτι δὲ ἐλάλησεν ὁ κριὸς καὶ Ἑκαταῖος φησίν.* Schol. ad Apoll. Rh. 1. 225. cf. Creuzer. hist. Gr. Fr. p. 48. Longe saniore judicio usus est Hecataeus in fabula de Cerbero, inferorum cane, ap. Pausan. 3. p. 113.

[19]) Herod. 1, 60. 2, 3. et 45. *Ἕλληνες λέγουσι ματαῖα πολλά.* Ottofr. Mueller. Orchom. p. 105. Foucher. Mém. de l'Acad. d. Inscr. T. 35. p. 6 sq. Herodotus quoque,

VI.

Pherecydem Atheniensem et Hellanicum Lesbium curiosius aliquid de Orpheo prodidisse, ex certis quibusdam vestigiis mihi collegisse videor. Etenim uterque Orphei familiam usque ad Homerum et ulterius deduxisse fertur, eandemque sursum prosequutus esse usque ad Deucalionem. Quae sane res accuratam eorum cognitionem requirebat, quae hactenus de Orpheo erant tradita; nisi has quisquilias ab illis temere fictas esse perperam censere velimus [20]). Deinde Pherecydes Orphei vel carmina, vel vulgatas

ut modo dictum est, interdum aliquid commisit in hoc genere; etsi non eo loco, quem vulgo afferunt II, 53. (ut Wolf. Proleg. p. LIII.). Quam caute vero in his rebus versandum sit, ne injuria fiat summo historico, haud uno loco demonstravit Heerenius et Creuzerus. Quidam enim cupidius, quam par est, fidem Herodoti suspectam reddere voluerunt: ut olim Tiedemannus, quo vix ineptiorem Herodotus censorem nactus est. Imposuerunt quidem historiae patri sacerdotes Aegyptii, sed raro, et in iis plerumque rebus, quae et acutissimum quemque scrutatorem facile fefellissent. Quae vero parum probabilia ei videbantur, rejecit, ut 3, 16. 2, 156. 21. Unde apparet, eum non pependisse ab Aegyptiorum mira tradentium ore. (cf. Creuzer. Fr. hist. Gr. p. 27.). — Incredibile fere est, quanta fuerit inconstantia veterum historicorum tam antiquiorum quam recentiorum, ut alteri non deesset occasio, alterum sexcenties refellendi. Magnopere inter se dissidebant Hellanicus et Acusilaus; Acusilaus et Ephorus, Ephorus et Timaeus, etc. Joseph. contr. Apion. 1, 3. T. 2. p. 439. Hav. Euseb. Praep. Ev. 10, 7. Strabo 8. p. 526. Dodwell. Chron. Thucyd. 2. p. 591. Lips. Heyne de hist. scrib. ap. Gr. pr. Comm. Gott. Vol. 14. p. 130. Meier-Marx Eph. Fr. p. 66. 67. Inepto molimine Sturzius Hellanicum suum contra omne falsi crimen defendit, Fr. p. 11. De Ephoro optime inter veteres sensit Seneca. Nat. Quaest. 7, 16: "Ephorus vero non religiosissimae fidei, saepe decipitur, saepe decipit." cf. Ottofr. Mueller. Doriens. 1. p. 53. 94. 96. 137. Heeren. kleen. T. 2. p. 28. 280. T. 3, 1. p. 471; prae quorum virorum judicio immodicam laudem contemno, quam alii Ephoro tribuerunt, ut Monboddo, orig. lng. T. 1. p. 417. Heyne Apollod. 1. p. XXXVI. Creuzer. Symb. T. 1. p. 215. 216. et adjuncto Theopompo, Fr. hist. Gr. p. 170. Dionys. p. 210., cujus rationes continuo sequitur Meier-Marx p. 52 sqq. cf. Heyne ad Hom. T. 5. p. 518. Ast. ad Plat. Phaedr. p. 219. Siebelis. Philoch. Fr. p. 96.

[20]) Vid. Proclum de Homero in bibl. ant. litt. et art. ed. Heeren 1. ined. p. 8. et Constant. Porphyrog. Them. Imp. 2. T. 1. p. 22; Suid. v. Ὅμηρος; ex quorum comparatione

de eo fabulas, collegisse dicitur [21]). Quid? quod sub Hellanici nomine vul-

tione haec genealogia prodit: Deucaleon. Aeolus. Macednus sive Macedon. Pierus (Schol. ad Hom. Il. 14, 236.). Oeagrus. Orpheus. Dorion sive Dres. Euclees. Idmon. Philoterpes. Chariphemus sive Euphemus. Epiphrades. Melanopus. Atelles. Dius. Maeon. Homerus. Primam partem horum tetigit Clavier. pr. Gr. temp. T. 1. p. 74. Varietatem quandam deprehendimus in cert. Hom. et Hesiod. p. XXII. ed. Barnes. Charax Lampsacenus, Damastes Sigeensis, et Asclepiades quidam idem tradidisse, saltem ex parte, narrantur. (Suid. v. Ὅμηρος. Procl. l. l. Schol. ad Apoll. Rh. 1, 23.); haud dubie ex ipsis Pherecydis et Hellanici scriptis; quae quum posthac periissent, ex Asclepiade hausit Apollonii scholiasta, et e Charace Suidas. Ad eandem illam genealogiam respexit Pherecydes, Fr. p. 118. Sturz. Omnino mirifice sibi placuisse videntur Graeci in omnibus antiquioribus poetis cognatione quadam inter se connectendis. Sic Stesichorus Hesiodi filius appellatur ab Aristotele (ap. Tzetz. ad Hes. Op. p. 3. b. Heins.), a Philochoro (ap. Procl. ad Hes. Op. 271. p. 66. b. Heins. Siebelis. Fr. p. 104. cf. Tzetz. ad Hes. Op. p. 71. a. Suidas. v. Στησίχ. cf. vit. Hesiodi p. XVIII. Loesn.), aliisque, cf. Ottofr. Mueller. Orchom. p. 358. — At ne hic quidem constanter versati sunt veteres; nam Gorgias Leontinus aliam prorsus ingressus viam, a Musaei progenie descendere jubebat Homerum. v. Procl. de Homero l. l. p. 8. — Ex ejusdem Pherecydis historiis simili modo Philammonis genus affertur; unde facile apparet, eum paulo diligentius circa antiquissimorum poetarum nomina versatum esse; Schol. ad Hom. Od. 2, 432., illo auctore refert, Philonidem nympham, in Parnasso habitantem, corporis venustate plurium deorum amores sibi conciliasse — εἶτα γίγνεται ἐκ μὲν τοῦ Ἀπόλλωνος Φιλάμμων ἀνὴρ σοφιστής, ὃς καὶ πρῶτος δοκεῖ συστήσασθαι χόρους παρθένων. v. Fr. p. 118. Sturz; qui locus narrandi rationem simul nos docet, qua Pherecydes usus est, simplicem illam, et ex vetustis poetis derivatam, nullo subjecto judicio.

21) Suidas. v. Φερεκύδης. Eudocia p. 421. τὰ Ὀρφέως συναγαγεῖν; qui locus Jacobum Frisium olim commovit, ut Pherecydem Orphei discipulum faceret, et ad sec. 13. a. Chr. rejiceret (Bibl. Chron. class. auct.). Num carmina, an fabulas intellexerit Suidas, incertum est; utraque sententia apte defendi potest. Priorem tamen praefero; nam si varios de Orpheo mythos a Pherecyde collectos esse Suidas significare voluisset, verius dixisset τὰ περὶ Ὀρφέως. Rationem a Sturzio p. 69. propositam, qua illa Suidae verba ad dogmata Pherecydis Syrii, nobilis philosophi (de utriusque Pherecydis diversitate vid. praeter Sturzium Matthiae. in Wolfii Anal. Litt. 1. p. 326. Weichert. de Ap. Rh. p. 219.), pertinent, non probo; cf. Gyrald. Op. T. 2. p. 76. e. Lambec. Prodr. p. 180. 196. Voss. de hist. Gr. 4, 4. p. 443. Eschenbach. Epig. Praef. f. Ineptissime Barrius (Mém. de l'Acad. T. 16. p. 25.) Suidae locum ita interpretatus est, ut a *primo* Pherecyde *prima* carmina Orphica conscripta esse statueret; scilicet antea nemo aliquid de Orpheo *poeta* inaudiverat. — Testimonia illa omnino improbarunt Meursius Bibl. Att.

4

gata olim erat cosmogonia Orphica: quam nemo ei supponere ausus esset, nisi plura de Orpheo eum tradidisse inter veteres constitisset [22].

Cum Pherecyde, Hellanico, Acusilao et Hecataeo memoratur plerumque Herodori nomen [23]), quem de rebus Argonauticis, et de Hercule scripsisse constat. De ejus aetate magnopere quidem inter se discrepant doctorum hominum sententiae: sed extra omnem dubitationis aleam positum videtur, eum ad numerum logographorum referendum esse, qui ante Herodotum vixerunt. Qui enim fieri potuisset, ut sexcenties cum Herodoto confunderetur, nisi hujus aetati propior fuisset? Itaque non assequor, quomodo nonnulli eum facere potuerint Grammaticum Alexandri-

p. 1583. et ad Hellad. Chrest. p. 58. Menagius ad Diog. L. p. 68. v. Fabric. Bibl. Gr. T. 1. p. 142. Harl; sed nullis causis adductis. Optandum sane esset, ut Suidas auctores suos laudasset; nam ipse auctor non est, sed ab aliis semper pendet, quos vero nominatim afferre interdum negligit.

22) Damasc. Neoplat. περὶ ἀρχ. 13. p. 252. in Wolfii Anecd. T. 2. et Athenag. leg. p. Chr. 15. p. 68. Oxon. v. Tiedem. pr. Gr. philos. p. 59-63. Eschenb. Epig. p. 93. Kanne Anal. philol. p. 38. Creuzer. Symb. T. 3. p. 304. (315.) T. 4. p. 243. (261.). — Mirum est, quo procedat Francogallorum credulitas. Etenim Hancarvillius (orig. art. ap. Gr. T. 1. p. 115.) hanc Hellanici cosmogoniam trecentis ante Hesiodum annis ab ipso divino Orpheo *conscriptam* esse censet.

23) Plut. vit. Thes. c. 26. 25. p. 12. (v. Siebel. Philoch. Fr. p. 34.) Schol. ad Ap. Rh. 1, 23. 46. 139. 2, 1123. Herodorus Heracleotes fuit ex Ponto: docte et accurate de eo egit Weichert. vit. Apoll. Rh. p. 151-175., qui ejus aetatem ex Aristotelis, Antigoni Carystii et Athenaei locis certo constituit. Quibus argumentis Passowius nitatur, ut qui eum cum Thalete et Epimenide ad Ol. 46. referat (hist. litt. Gr. et Rom. p. 8.), me plane fugit. — Ejus scripta de rebus Argonauticis et Hercule affert Schol. ad Ap. Rh. 2, 817. 903. 4, 259. v. Heyne. Apollod. T. 2. p. 357. Heeren. de fontt. Plut. p. p. 16. 17. — Frequentes istas Herodoti et Herodori permutationes congesserunt plures, quos Heyne laudat ad Ap. T. 2, 356 et Mueller. ad Tzetz. T. 2. p. 725. 1010. Alias ejusdem generis confusiones indicavit Heyne ad Ap. T. 2. p. 76. Schneid. ad Ar. hist. an. T. 3. p. 425. Beckman. ad Antig. Car. p. 82. Toup. ad Schol. Theocr. 13, 9. 56. Brunck. Schol. Soph. Trach. 522. Boeckh. de Plat. Min. p. 159. Weichert. vit. Ap. Rh. p. 155. et novissime Meineke. Fr. Menandri p. VI. Praef.

num, vel Theophrasto aequalem [24]). — Hic Herodorus primus fuit, quantum e veterum testimoniis, ad nostra tempora delatis, scire licet, qui peculiare scriptum de rebus Orphicis ederet. Quo in libro quid potissimum spectaverit, incertum relinquit veterum silentium [25]). Varios haud dubie rumores et antiquitatis fabulas collegit, disposuit, et, hic illic certe, ad fidem historicam revocare annisus est. Certiora de Orphicae poesis antiquitate pronuntiare hodie liceret, si hic Herodori liber aetatem tulisset; utpote qui vel propter vetustatis auctoritatem multum apud nos ponderis habeat necesse est. Tum enim Orphei persona tot commentis onerata nondum fuit, quot sequentibus demum seculis in eam congesta esse scimus.

VII.

Quae de Pythagora et antiquissimis ejus disciplinae asseclis, ut qui res Orphicas frequenter tetigerint, narrantur, ea, quum magis ad interpo-

[24]) Theophrasto aequalem fecit Jonsius scrip. hist. phil. II, 2, 5. p. 147. Voss. de hist. Gr. 3. p. 347. Tiedem. pr. Gr. phil. p. 6. Matthiae. Obss. in hym. Hom. p. 24. Ukert. Geogr. Gr. et R. 1, 1. p. 109. 2. p. 324. Heeren. de fontt. Plut. p. 10. ad grammaticos Alexandrinos omnino, Heyne de Gr. orig. Comm. Gott. T. 8. p. 26. sub Ptolemaeis vixisse dicit Groddeck. Bibl. ant. Litt. et art. 2. p. 76. — Vixit sane Herodorus quidam multo serius, qui una cum Apione saepius laudatur (Boeckh. Praef. ad Schol. Pind. p. XIII. 120. Weichert. p. 162.); sed is non eam vim habet, ut nullum logographum ejusdem nominis ante se vixisse probet.

[25]) Inscriptus erat liber: Ὀρφέως καὶ Μουσαίου συγγραφή; ex quo titulo simul apparet, versibus non conscriptum fuisse (Werfer. in Act. Monac. T. 2, 4. p. 495 sq. Weichert. p. 188.). Laudatur ab Olympiodoro ap. Phot. Bibl. cod. 80. v. Olymp. Fr. a Sylburgio collecta in script. hist. Rom. antiq. T. 3. p. 853. cf. Fabric. B. Gr. T. 1. p. 141. Ex hoc libro commode sumpta videri possunt, quae affert Schol. Ap. Rh. 1, 23. 31.: Ἡρόδωρος δύο φησὶ γεγονέναι Ὀρφεῖς, ὧν τὸν ἕτερον συμπλεῦσαι τοῖς Ἀργοναύταις. Deinde, cur Orpheus, ἀοιδὸς ὤν, cum heroibus navigaverit? respondet: ὅτι μάντις ὢν ὁ Χείρων ἔχρησε, μὴ δύνασθαι τὰς Σειρῆνας παρελθεῖν αὐτοὺς Ὀρφέως μὴ συμπλέοντος. Οὕτως Ἡρόδωρος. Weichertus quidem (p. 167. 168.) haec ex Herodori Argonauticis desumpta dicit; quia scilicet illum de Orpheo librum non agnoscit, nulla, ut facile intelligitur, ratione inductus (p. 163.).

latam poesin Orphicam, et ad aliena dogmata traductam, spectent, commodiorem invenient locum in Orphicorum carminum historia, cujus primas lineas infra ducam. Illos limpidiores rerum Orphicarum fontes, qui Terpandro et logographis manabant, turbarunt, et turbatos ad sequentia tempora deduxerunt Pythagorei, quos ab Orpheo suo numquam devertisse constat. Hinc factum est, ut jam Herodoti temporibus, vix septuaginta annis post Pythagorae disciplinam, in Graecia vulgatam, Orphei placita physica tantopere Pythagoreorum disciplinae accommodata essent, ut pro iisdem vulgo haberentur [26]). Quamvis autem ii veterum, qui de antiqua Pythagorae philosophia, ejusque symbolis egerunt (et jam mature de his actum est), res Orphicas omnino praetermittere non poterant, tamen nonnisi ea exposuisse videntur, quae in hac disciplina mutata et transformata erant; non quae primitus fuerat illius forma et indoles [27]).

---

[26]) Herod. II. 81.; locus a viris doctis dilaudatus. Fusius de eo egit Lambec. Prodr. p. 179. Morhof. polyhist. lit. p. 124 sq.; perperam cepit Tiedem. pr. Gr. phil. p. 18. 19. cf. V. D. in Mém. de l'Acad. T. 23. p. 34. Freret ibid. p. 260. Barrius T. 16. p. 19. Meiners. de vero Deo p. 190.; bene explicuit Valkenaer. ad Eurip. Hipp. 952. p. 266. de Aristob. p. 83. cf. Fabric. B. Gr. T. 1. p. 157. 161. J. H. Voss. Ep. Myth. T. 1. p. 32. Kanne Conon. narratt. p. 11. 61. Santocruc. de myster. T. 2. p. 51. ed. II. Creuzer. Symbol. T. 3. p. 139. (150.) cf. T. 1. p. 254. T. 2. p. 284. Commentt. Herodd. T. 1. p. 167. — Caeterum scholae Pythagoricae flos incidit in. 540 - 500. ante Chr. n.; Herodotus floruit circ. 450.

[27]) Ingens librorum copia hujus generis olim exstabat: περὶ Πυθαγορείων sive περὶ Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας scripsit Aristoteles (Diog. Laert. 5. 8, 16. Plutarch. 4. 11. Aelian. V. H. 2, 26. Theo Smyrn. 1. 5. Apoll. hist. mirab. 6. Jambl. vit. Pyth. 6. Jons. script. hist. ph. 1. p. 62. Creuzer. Stud. T. 2. p. 230.). Cujus libri memorabile fragmentum servavit Diog. L. l. l.: ἔλεγε δέ τινα καὶ μυστικῷ τρόπῳ συμβολικῶς, ἃ δὴ ἐπὶ πλέον Ἀριστοτέλης ἀνέγραψεν, οἷον, ὅτι τὴν θάλατταν μὲν ἐκάλει εἶναι δάκρυον, τὰς δὲ ἄρκτους Ῥέας χεῖρας, τὴν δὲ Πλειάδα Μουσῶν λύραν (cf. Sopat. Divis. quaest. p. 338 sq. Santocruc. de myst. T. 1. p. 304. 305.). Haec symbola ab ipso Pythagora jam adhibita esse, Aristoteli facile accredimus. Mire autem conveniunt ea cum antiquis Orphicorum symbolis, de quibus Epigenes olim exposuerat (Clem. Alex. 5. p. 675. (571.)). Sic Jovis lacrymas, δάκρυα Διός, intellexit *pluviam*; μίτον i. e. filum, *semen*; κερκίδα καμπυλόγραμμον radicem incurvi

VIII.

Sequuti sunt rerum Atticarum scriptores, quibus Dionysius Milesius viam jam praeiverat et Hellanicus Lesbius. Quantum hujus quoque generis proventum librorum illa aetas protulerit, vel ex numero auctorum, quorum nomina a veteribus laudantur, colligi potest. Celebriores fuerunt Melesagoras, Clidemus, Phanodemus, Demon, Demetrius Phalereus, Polemon, Ister, Androtion, Philochorus. Qui vero curiosiora et accuratiora de rerum Atticarum origine et gradibus, quibus ad summum culturae fastigium evectae sunt, tradere studebat, ei uberrimam scribendi materiem sancta Eleusis praebebat, antiquissimorum mysteriorum sedes. Atque apud omnes ἀτθίδων scriptores aliquid saltem de saluberrimo illo instituto lectum est. In hac autem disquisione sileri non poterat Orphei memoria,

corporis, *aratrum*; δικτύου πλοκὴν retis plexum, *partum*; ἄνθινον floridum, *ver*; ἀργὴν requiem laboris, *noctem*; στήμονα stamen, *sulcum*; γοργόνειον Gorgonis faciem, *lunam*; Ἀφροδίτην *tempus, quo seminare oporteat*; λευκοστόλους candidatas, *quae sint partes lucis*; Μοίρας Parcas, *partes lunae, tricesimam, quintam decimam, et novam lunam*; κύνας Περσεφόνης, *astra*. cf. Clem. Al. 5. p. 663. Plutarchum et Porphyrium ap. Eschenb. Epig. p. 7. 11. Aristot. de anim. gener. 2, 1. cf. Ottofr. Mueller. Dor. T. 1. p. 313. Plura de his symbolis olim lecta esse suspicor ἐν τοῖς ἐξηγητικοῖς rerum Orphicarum, ut Phanodemi (Hemsterh. ad Lucia. T. 1. p. 282. Siebel. Phil. Fr. p. 11. Lobeck. de Tritop. 2. p. 8.), Clidemi (Athen. 9. p. 409. f. 410.), Anticlidae (Athen. 11. p. 473. c.), Cornelii Balbi (Macrob. p. 398.), aliorumque (Suid. Τριτοπάτορες v. Lambec. Prodr. p. 176. Malel. chr. p. 88. Valkenaer. de Aristob. p. 76. Lobeck. de Tritopat. P. II. p. 3.). — Praeter Aristotelem de philosophia et symbolis Pythagoreorum egit Demetrius Peripateticus in opere de poetis (Athen. 10. p. 452. d. v. Jonsium 1. p. 252.), Anaximander junior (Suid. Ἀναξ. Jons. 1. p. 40.), Androcydas (Jambl. vit. Pythag. ap. Jons. II. p. 238.), Alexander Polyhistor (Clem. Al. Strom. 1. p. 357. Menage ad Diog. L. 8, 16. Creuzer. Stud. T. 2. p. 230.), Neanthes Cyzicenus (Diog. L. 8, 16. Jons. 1. p. 157.). Supersunt adhuc symbola Pythagorae Mss. incertae aetatis Paris. in Bibl. Reg. n. DXCIII. MDXCVI. MDCCLIII. MMLXXXVIII. (Jons. 1. p. 237.). — Caeterum discrimen, quod Procl. in theolog. Plat. 1, 4. statuit, dignum est, quod hic notemus: Ὀρφικοὶ διὰ συμβόλων, Πυθαγόρειοι διὰ εἰκόνων τὰ θεῖα μηνύειν ἐφιέμενοι (cf. Lambec. Prodr. p. 180.), de qua re plura adjiciendi infra nobis occasio dabitur.

ut quae ad originem mysteriorum Eleusiniorum spectaret, quatenus eorum religio cum Bacchi cultu cohaerebat. Omnes hoc fere consilium videntur sequuti esse, ut omnia cultioris vitae initia ex Atticis regionibus ad reliquos Graecos pervenisse, et Atticos homines nihil aliunde accepisse, demonstrarent. In quibus disquisitionibus quum diversas vias ingrederentur, fieri non poterat, quin magna paullatim sententiarum diversitas et discrepantia vulgaretur; quae deinde magis etiam aucta est ab aliis scriptoribus, qui aliis Graeciae regionibus eandem superbam laudem vindicare annitebantur; ab iis in primis, qui res Argolicas descripserant. Ambitionem Atheniensium quum diserta veterum testimonia et alia documenta, tum ipsa fragmenta, adhuc exstantia, comprobant [28]).

De singulis hic exponere nihil attinet. Duos tantum ex illis rerum Atticarum scriptoribus, Androtionem et Philochorum, paucis attingere juvat [29]). Etenim hi fusius de Orpheo, ejus poesi, et sancto mysterio-

[28]) Jam antiquissimis temporibus carmina fuere, quae res Atticas decantabant, e. c. Ἀτθὶς, cujus auctores (nam plures laudantur) ignoti erant (Strab. 5. p. 339. 9. p. 601. a.), et Pausaniae temporibus non amplius exstabat (Paus. 9, 28. p. 764. v. Groddeck. in Bibl. vet. litt. et art. 1, 2. p. 80. Thiersch. de Hesiodo in Comm. Acad. litt. Monac. 1813. p. 32.). Ex hoc fonte hauserunt, qui postea in eodem argumento tractando versarentur; ut praeter eos, quorum nomina modo laudavimus, Ephorus quoque (Heyne Apoll. T. 1. p. xxxi. xxxv. Creuzer. Symb. T. 4. p. 6. Meier-Marx Fr. Eph. p. 64.).

[29]) Androtion floruit Ol. 90-96; certe haud seriore aetate; Aristot. Rhet. 3. 4. Perizonius (ad Aelian. V. H. 8, 6.) ad Mummii Achaici tempora eum refert, stante adhuc republica Atheniensium (cf. etiam Ruhnken. hist. crit. orat. Gr. p. LXXIV. Siebelis. Philoch. et Andr. Fr. p. XVIII sq. Jons. 2, 9.). Vossium (de hist. Gr. 3. p. 322.) et Harlesium (ad Fabr. Bibl. Gr. T. 2. p. 744.), qui Androtionem incertae aetatis scriptoribus annumerant, meliora docere poterat Suidae (v. Ἀνδρ. et Schol. Hermog. ap. ipsum Fabric. T. 2. p. 820.), narratio, Androtionem ex Isocratis disciplina prodiisse; nam cur hunc ab historico distinguamus (ut facit Ruhnken. l. l.), nihil rationis in promptu est, quum plerique Isocratis discipuli, qui in insula Chio, in quam belli Pe-

rum instituto egisse videntur. Memorabile quoddam Androtionis fragmentum, ex Atthide petitum, servavit Aelianus [30]); ex quo et ambitiosum

loponesiaci strepitu perterritus senex se contulisset, ejus praeceptis rhetoricis et facundia imbuti erant, studia sua ad historiam scribendam applicaverint, ut Theopompus, Ephorus, Timaeus; qui vero subtili illa Isocratis institutione virile veteris historiae robur infregerunt (Plut. vit. Isocr. T. 4. p. 354. Wyttenb. Wyttenb. Praef. ad Selecc. Hist. p. xvi. Creuzer. Praef. ad Epor. Fr. ed. Meier-Marx p. xxi. xxvi., ipse Meier-Marx p. 12.). — Caeterum videtur Androtion ex ipsa Attica oriundus fuisse, ut plerique rerum Atticarum scriptores; id quod colligere quodammodo possumus ex Plut. de exil. T. 2. p. 605. c. Xyl. Paus. 6, 7. Schol. ad Soph. Oed. Col. 1046. Aelian. V. H. 8, 6. Siebel. Phil. et Andr. Fr. p. xvi. —

[30]) Aelian. 8, 6. ibiq. cf. doctissimam Perizonii notam, quam totam repetiit Siebelis. Phil. Fr. p. xvi. cf. Gyrald. Op. T. 2. p. 71. s. Tiedemann. pr. Gr. phil. p. 9. Ipsa verba alia de causa huc transscribere juvat: μηδὲ τὸν Ὀρφέα σοφὸν γεγονέναι, Θρᾷκα ὄντα, ἀλλ ἄλλως τοὺς μύθους αὐτοῦ καταψεύσασθαι. Tota Androtionis argumentatio haec est: Thraces constat illitteratos fuisse et rudes; ergo Orpheus, qui Thrax fuit, non potuit homo eruditus et litteris excultus vocari: proinde omnia, quae de Orphei sapientia et doctrina narrantur, ficta sunt. Quam temerariam sententiam temeraria verborum transpositione quodammodo excusare voluit Battier. (Specim. philol. p. 29. probat. a Siebelis. Fr. p. 117.) μηδὲ τὸν Ὀρφέα, σοφὸν ὄντα, Θρᾷκα γεγονέναι. Etenim si hoc tantum negasset, Orpheum fuisse *Thracem*, non subjicere potuisset, falsam esse ejus sapientiae famam; unde mira profecto contradictio oritur: *sapiens* fuit Orpheus, neque vero *Thrax*, *sed sapientia ei falso afficta est;* ergo nec Thrax fuit nec sapiens!! — Nihil erat, quod Siebelis (p. xvii.) Fabricium (1. p. 113.) vituperaret, qui locum bene interpretatus est. — Quod Androtion cum Istro alibi de Eumolpo, mysteriorum Eleusiniorum auctore, non Thrace illo, sed seriore homine Attico, prodidit (ap. Schol. ad Soph. Oed. Col. 1046. (1108.); id, cur ad Orpheum quoque absque omni teste transferamus, non video. Eumolpi nomen, ut Atticae vindicaretur, in eadem genealogia pluries repetitum est: Eumolpus. Keryx. Eumolpus. Antiphemus. Musaeus. Eumolpus. (v. Meurs. Eleus. p. 6. Heyne ad Apollod. 2, 5, 11 et 3, 15, 4. Santocruc. de myst. T. 1. p. 118-120. 468. 469. Passow. Mus. p. 7. 22.). Primum illum Eumolpum Thracem fuisse, ne Androtion quidem negavit, neque hodie quispiam negat (Arcesidor. ap. Schol. ad. Soph. Oed. Col. 1051. Paus. 1, 38, 3. 2, 14, 2. Suid. v. Εὐμολπίδαι. T. 1. p. 897. Etym. M. Marmor. Par. ep. 15. l. 28.; in errorem delapsus est Clem. Alex. Prot. p. 17. Potter. loco Hym. in Cer. 474. perperam intellecto. Huellman. Gr. hist. prim. p. 53. 54. Passow. Mus. p. 24. Ottofr. Mueller. de Minerva Pol. p. 9.). Etsi igitur Eumolpi trinepos fuit, qui μύησιν conderet, Thracica tamen origo ejus nondum abolita

Attici hominis ingenium, et argumentorum leve pondus facile apparet. Nota est communis totius antiquitatis sententia, Cereris religionem ab Eumolpo *Thrace* in Eleusinia mysteria introductam, et ab Orpheo *Thrace* Bacchi cultu amplificatam esse. Hunc Thracum honorem omni ratione suae genti vindicare studebat Androtion, et Eumolpum et Orpheum vel *Thraces* fuisse negans, vel *sapientes*, utpote quos nullis litteris et disciplinis nec usos nec excultos fuisse constet, sed rudes et illitteratos; nec quidquam potuisse rerum cognitionis aliorum libris legendis sibi comparare, quoniam nec *legere* nec *scribere* didicerint. O ineptum hominem! qui non capere poterat, aliquem etiam sine litterarum et librorum usu sapientem et prudentem existere posse, solis ingenii viribus et judicii acumine atque

---

erat. At omnis iste multiplicatus Eumolporum numerus fictus est. Aut unus statuendus est, aut nullus; aut omnes omnium aetatum hierophantas Eleusinios Eumolpi nomine fuisse insignitos elicies ex Plut. de Exil. T. 2. p. 607. et ex Inscript. CXXIII. ap. Chandler. p. 78. cf. Santicruc. de myst. T. 1. p. 218. Ille, Εὔμολπος, inquit, ὃς .... ἐμύησε καὶ μυεῖ τοὺς Ἕλληνας. — Androtion antiquissimum Ἀτθίδος auctorem, Melesagoram, vel sequutus est in multis, vel forte cum eo consensit: quod Clemens (St. 6. p. 629. Sylb.), more suo, parum profecto laudando, ita explicat, quasi pleraque sua illinc derivasset (Siebel. Fr. Andr. p. xx. 5.). Vix est ullus alius antiquitatis rerum scriptor, qui plures asseclas nactus sit, quam Melesagoras. Jam Hecataeus ejus vestigia pressit (Clem. Al. l. l.). Pertinet igitur ad logographorum numerum; quibus recte accensetur a Dionys. Hal. jud. de Thucyd. II. p. 138. Sylb. cf. Bibl. Crit. Cantabr. T. 1. p. 221. Si Dionysius etiam Mnesagoram quendam novisset, quem nemo mortalium novit; hoc haud dubie loco eum memorasset, quo omnes antiquiores historicos annumerat. Videtur quidem Apollodor. 3, 10, 3. f. istud nomen agnoscere. Sed comparatio cum Schol. ad Eurip. Alcest. 2. instituta docebit, pro *Mnesagora* scribendum esse *Melesagoram;* id quod omnium editorum curam fugit. Num rectius scribatur Μελησαγόρας (Hesych. et Suid. v. Max. Tyr. diss. 22. (13.) p. 224. Davis. Clem. Alex. Str. 6. p. 629. a.) an Ἀμελησαγόρας (Antig. Caryst. mirab. c. 12. Paus. 1, 2.), incertum facit veterum silentium: certe homines nihil differunt. Mihi videtur Ἀμελησαγόρας corruptela librariorum esse, inde orta, quod dimidia pars litterae M bis pingeretur ΜΙΕΛΗΣΑΓΟΡΑΣ. Fortasse etiam Ἀ praecessit, quam librarius ad illud nomen perperam traxit: quae ratio minus artificiosa est. Caeterum de ejus patria, num Chalcedonius fuerit, an Eleusinius, an Atheniensis, nunc nihil definio.

atque meditata rerum experientia. At ne hodie quidem desunt, qui eandem rationem sequantur, nec ab Homero ullum potuisse versiculum confici absque utilissima illa scribendi arte putent [31]); id quod Androtion quoque nemini, ut opinor, largitus esset. Verum ne ipsi quidem veteres perverso ejus judicio quidquam tribuisse in hac re videntur, ut Aeliani verba declarant [32]).

Multo serior aetas, quam Androtioni, assignanda est Philochoro Atheniensi, qui Euclidi aequalis fuit [33]), et multorum librorum ex historico genere auctor. Is quidem, ut omnes fere rerum Atticarum scriptores, subtiliorem plerumque et acutiorem antiquarum fabularum interpretatio-

---

31) Carmen, ab initio non mandatum litteris, Kannio (Primord. hist. p. 4-10. 661-63. 620. 693.) res tam mira et incredibilis visa est, ut, qui contra sentiant, ineptos vocet. Sed homo fortasse ludit, et, ut totum hunc libellum, ita Pantheum, ludibrii causa scripsisse videtur. Quantum enim utrumque opus distat a Conouis editione et mythologia Graecorum! Itaque eos miror, qui vel nugas illinc creduli petunt, ut suas sententias firment; vel operose istas refellunt (ut Creuzer. e. c. Comm. Herodd. p. 271. Symbol. T. 3. p. 225 sq. Welcker. Sappho. p. 30. 32. et ephem. ant. art. 1. p. 112. etc.). Nos si quando istos libros laudavimus, animi causa fecimus.

32) Ταῦτα Ἀνδροτίων λέγει, εἴ τῳ πιστὸς ὑπὲρ τῆς ἀγραμματίας καὶ ἀπαιδευσίας Θρᾳκῶν τεκμηριῶσαι. Pausanias quoque parum ei fidei tribuit (6, 7, 2.): εἰ δὲ τὸν ὄντα εἶπεν Ἀνδροτίων λόγον. Plura tamen ab eo accuratius et verius tradita asse, quam ab aliis, fragmenta declarant ap. Siebel. p. 114. 115. 116.

33) Ol. 118, 3. insigni vatis et haruspicis munere Athenis auctus est; Dionys. Hal. T. 2. p. 113 Sylb. (T. 5. p. 636 Reiske.). Quomodo igitur a corruptissimo Suida Eratosthenis senis discipulus, et grammaticus Alexandrinus vocari potuerit, nondum assequutus sum; Eratosthenes enim natus demum est Ol. 126. 1. Proinde ratio fefellit Vossium de hist. Gr. 1, 18. p. 115. Jonsium 2, 9. Corsinium Fast. Att. T. 4. p. 103. T. 2. p. 91. Fabricium cum Harlesio T. 2. p. 481. T. 6. p. 376. cf. Heeren. de fontt. Plut. p. 13. — Lobeckius (de Tritop. P. 3. p. 8.) Philochorum Platone antiquiorem habere videtur: sed et hunc ratio fefellit; et Patricium, qui eum ex peripateticorum numero fuisse putat, jam notavit Fabric. 2. p. 502. — Cf. praeterea de Philochoro Fr. Wolf. Prolegg. ad Demosth. or. adv. Lept. p. XCVIII.

nem sectatus est, productam istam ex simili arrogantia, quam in Androtione deprehendimus. Res Orphicas ille quum in spisso Ἀτθίδος opere (cujus XVII libri laudantur), tractare poterat, et procul dubio etiam tractavit, tum easdem in peculiari libello de divinatione eum tetigisse constat [34]).

---

34) Schol. ad Eurip. Alc. 968 (971.). Clem. Alex. 1. p. 334. Sylb. Harles. ad Fabric. 1. p. 142. Siebelis. Fr. p. IX. 98 sq. Heyne ad Hom. T. 5. p. 716. Collegerat Philochorus in illo opere περὶ μαντικῆς varia oracula et vaticinia, tam soluta quam ligata oratione scripta; in quibus exponendis de eorum auctoribus, aetate et auctoritate egit (Plut. de Pyth. or. T. 2. p. 403. f. T. 7. p. 588. R.). Itaque in Orpheum *vatem* in primis inquisivisse videtur: de quo quae prodidit, magnopere hodie desideramus, quum in hac antiquitatis parte bene eum versatum esse oportebat, quippe qui ipse esset μάντις et ἱεροσκόπος. Scripsit praeterea περὶ θυσιῶν· περὶ ἱερῶν· περὶ ἑορτῶν· περὶ καθαρμῶν· περὶ ἡμερῶν (Siebel. Fr. p. 9.). Incertum est, num opus περὶ συμβόλων pars fuerit libri περὶ μαντικῆς; probabile tamen. — Omnium horum librorum magna fuit apud veteres auctoritas et singularis fides (v. Siebel. Hellen. p. 52. et loca vet. in Fr. p. 102.); non item Ἀτθίδος et aliarum similis generis historiarum. Quapropter ex parte tantum et insigni illa laude, qua eum ornavit Hemsterhusius (ad Arist. Plut. p. 353.), et Heynius (Opusc. T. 1. p. 354.), dignus censendus est, et insigni isto vituperio, quo eum oneravit Lobeckius (de Tritop. 3. p. 8.). — Attici hominis arrogantia et ambitio in multis quidem haud obscure se prodit; fortasse etiam in iis, quae de Orpheo exposuit in Ἀτθίδι, se proderet, si quid inde nobis reliquum esset. At de Homero, sententiam scriptorum rerum Argolicarum amplexus esse videtur, qui Maeonium vatem fecerant Argivum (vetus grammat. ined. ap. Iriarte in Bibl. Matrit. Codd. Gr. p. 233. v. Schellenberg de Antimacho Col. p. 114. Siebel. Fr. p. 35. Meier-Marx p. 79. Eph. Fr.). Qua quidem in re discessit ab aliis Ἀτθίδων auctoribus; a quibus sententias de Homero *Atheniensi*, quales Gell. 3, 11. Fabric. 1. p. 327. afferunt, profectas esse certissimum mihi est. Mirum est, quot civitates hoc modo nactus sit Homerus. Sic Ephorus, homo Cumaeus, suae genti honorificos Homeri natales vindicavit (Plut. vit. Hom. c. 2. altera vit. c. 2. ap. Ernest. Opp. Hom. T. 5. p. 151. Gale Op. Mythol. p. 283. Euseb. pr. ev. 10, 11. p. 491. Vig. Tatian. adv. Gr. 48. p. 285. Heinrichs. de Epimenide p. 145. Meier-Marx Fr. p. 267. Sturz. Hellan. Fr. p. 154. Siebel. Phil. Fr. p. 35. Fabric. 1. p. 312.). — Fortasse ne Leo quidem Allatius, qui docte de Homeri patria egit, verissimam de Homero Chio famam exornasset, nisi ipse ex illa insula oriundus fuisset. Origines et causas opinionum de Homero Ithacensi, Salaminio, Smyrnaeo, Colophonio, Pylio, et, si diis placet, Aegyptio et Romano, in posterum fortasse disputandi nobis dabitur opportunitas. Quo Homerus Trojanus et Syrius pertineant, vide sup. not. 15.

IX.

Orphicae poesis fontes, unde ad antiquitatem et indolem ejus cognoscendam aliquid olim hauriri potuerit, indicaturo, silentio praetermittendi non sunt, qui Graecae poesis historiam usque ad sua tempora deduxerunt, vel qui de poetarum Graecorum vita, et poesi omnino, egerunt. Inter hos vero principem Aristoteles facile obtinet locum, cujus opus de poetis haud raro a veteribus laudatur [35]). Desideratissimum nobis hunc librum facit prudens illud de Orpheo judicium, a Cicerone servatum [36]), quod

---

35) Diog. L. 3, 48. 8, 3. p. 81. a. p. 227 f. Men. Athen. 11. p. 505. c. Macrob. Sat. 5, 18. Jons. scr. hist. ph. 1. p. 64. Hujus operis partes fuisse videntur περὶ διδασκαλιῶν et περὶ κωμικῶν, quas respexit Plut. de mus. II. p. 1143. c. Diog. L. 3, 48. Harpocr. v. διδάσκ. et Σκίνθης, Procl. ap. Phot. ecl. 239.

36) De N. D. 1, 38: "Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse, et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cujusdam fuisse Cercopis." Qui locus, nisi ad ineptas interpretandi machinas confugere velis, illum tantummodo sensum admittit, quem post alios egregie firmavit Creuzerus. Totius loci haec est ratio, ut tribus gradibus procedat disputatio. Primo ponuntur ii, qui, quum fuerint, non amplius sint; altero ii, qui nec unquam fuerunt; tertio, qui nec fuerunt nec esse possunt. In primis illis censentur Homerus et alii; in secundis Orpheus; in tertiis Scylla et Chimaera. cf. Creuzer. Symb. T. 3. p. 140. (152.). Davisii inconsideratam interpretationem "haec verba non significant, *nullum fuisse Orphea*. Volunt tantum poemata, quae sunt Orpheo tributa, falso nomen ejus prae se ferre" quae magnam auctoritatem inter eruditos homines nacta est, Ciceronis mens et totius loci connexus non admittunt. Quo tandem modo Cicero Aristotelis sententiam, ut unicam et singularem, proferre potuisset, quum nemo intelligentior ante Aristotelem, ut Herodotus et alii, eandem non amplexus esset? Itaque rejicienda sunt, quae apud Fabric. B. Gr. T. 1. p. 143. leguntur. Sanum vero Moshemii judicium laudamus (ad Cudworth. syst. int. T. 1. p. 345.), quod suum fecit Bruckerus (T. 1. p. 374.); deinde Valkenaer. (de Aristob. p. 73.), Kanne (Anal. philol. p. 59.), Ouwaroff. (de myst. Eleus. p. 13.), cf. Franguier. (Mém. de l'Acad. des inscr. T. 5. p. 121.), et alium virum doctum (T. 16. p. 99.), Santocruc. (de myst. T. 1. p. 117. T. 2. p. 47.), Passow. (Mus. p. 25.), Huellmann. (Gr. hist. init. p. 47.), Boettiger. (in Wielandi Mus. Att. T. 1. p. 332.). Ad temerarias opiniones suas, quas jam novimus, eundem Ciceronis locum detorserunt Barrius (Mém. de l'Acad. T. 16. p. 16.), Freretus (T. 23. p. 251.), Gyraldus (Op. T. 1. p. 76. c. T. 2.

certissima conjectura assequutus mihi videor, illinc petitum esse. — Deinde nactus est Aristoteles duos asseclas, qui in eodem argumento tractando versati sunt, Demetrium et Phaeniam [37]; e quorum tamen libris nihil nobis servatum est mentione dignum. Spissius de poetis opus edidit Hieronymus: quintus enim liber laudatur ab Athenaeo [38]. Heraclidis Pontici liber de poetica et poetis non absque laude a veteribus passim allegatur [39]. Metrodori librum ejusdem argumenti Plutarchus laudat [40]. Glauci Rhegini, vel Antiphontis, scriptum de vetustis Graecorum poetis et musicis, jam supra memoratum est, quum de Terpandro, Orphicorum carminum imitatore, exponeremus. Hoc, ut ad nostram aetatem pervenisset, magnopere optandum foret; siquidem in eo de poetis antiquissimo-

p. 71. e.), Meiners. (de vero deo p. 188.). Verum ex parte tantum viderunt Hanouius (disq. metaph. p. 335-337.), Lambec. (prodr. p. 179.), Tiedemann. (pr. Gr. phil. p. 4. 7. 31.), Clavier. (pr. Gr. temp. T. 1. p. 74.), Gail. (de cultu Bacchi p. 99.). Verum per jocum vidit Kanne (Pantheum p. 414.). — Cur illud Aristotelis judicium prudens habeam, infra apparebit.

37) Demetrius περὶ ποιητῶν et περὶ ποιημάτων Diog. L. 2. Athen. 10. p. 452. d. 12. p. 548. d. 14. p. 635. b. Jonsius 1. p. 252. Phaenias περὶ ποιητῶν Athen. 8. p. 352. c. d., ubi insigne fragmentum legitur de Stratonico Atheniense, homine facetissimo. Jons. 1. p. 98. De Phaenia cf. Athen. 2. p. 61. f. 64. d. et Schweigh. T. 4. p. 616.

38) Athen. 14. p. 635. f. Gyrald. Op. T. 2. p. 448. b. Jons. p. 29.

39) Περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητῶν. Diog. L. 5. Hujus operis pars fuit περὶ τῶν τριῶν τραγῳδοποιῶν; id quod non intellexit Jons. 1. p. 107.

40) Jons. 1. p. 128. Hunc librum Metrodori respexit Jamblichus V. Pyth. 34. p. 196. (242. p. 476. Kiessl.); indeque refert, omnium dialectorum Graecarum antiquissimam esse Doricam, qua Orpheus, poetarum vetustissimus, usus sit (cf. Valkenaer. de Aristob. p. 77. Hanouius disq. metaph. p. 351.). Gravissimum profecto et singulare testimonium, quod nobis haud parvi momenti in posterum erit. Longe igitur alia carmina erant, quae olim sub Orphei nomine circumferebantur, quam quae hodie exstant. Illinc enotarunt grammatici nonnullas verborum formas, mere *doricas*, ut κλαδόνχον (ap. Etym. M. v. ἰκὰς p. 253, 50.). Itaque antiquiores hymnos Orphicos Ottofr. Mueller. (Dor. 1. p. 312.) jure vocat doricos. Tiedemannus quidem (pr. Gr. phil. p. 34.) hoc nondum capere poterat.

rum Graeciae temporum, Lino, Philammone, Eumolpo, Thamyra, Orpheo, Musaeo, aliisque, separatim expositum erat.

X.

At ne ad inania vota delabamur, statim indicemus, quae postera doctorum Alexandrinorum aetas de Orpheo ejusque poesi scripta vulgaverit. Verum et hic paucos tantum librorum titulos proferre possumus, quibus edax aevum pepercit: plures haud dubie perierunt. Epigenes, de cujus incerta aetate nihil mihi certi definire contigit, scripserat de Orphei, quae vulgo fertur, poesi [41]. Nicomedis librum de Orpheo, aliunde nobis ignotum, semel laudat Athenaeus [42]. Multum promittit titulus libri, quem Apollonius Afrodisiensis ediderat, de Orpheo ejusque mysteriis [43].

Haec et similia scripta, quae illa aetas tulit, partim fraudes spectasse videntur, quibus homines ingeniosi sub Orphei nomine carmina divulgaverant; partim in ipsa poesi supposita explicanda occupati erant; quod de

---

41) Περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως. Clem. Alex. Str. 1. p. 321. 332. ἐν τῷ περὶ τῆς Ὀρφέως ποιήσεως τὰ ἰδιάζοντα (voces aenigmaticas, v. sup. not. 27.) παρ' Ὀρφεῖ ἐκτιθέμενος. Clem. Alex. Str. 5. p. 571. 585. 601. Sylb. (p. 675. P.). Ἀσίας ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς. Clem. p. 626. S. Valken. de Aristob. p. 75. Lambec. prodr. p. 179. Fabr. Bibl. Gr. T. 1. p. 142. Harl. Souchay. de hym. vet. in Mém. de l'Acad. T. 16. p. 100. De tempore, quo Epigenes floruit, id saltem falsum est, quod Jonsius (1, 15, 5.), et Tiedemannus (p. 40.) affirmant, eum Socraticis temporibus vixisse. Ut Epigenes, ita Sando, Pseudo-Hellanici pseudo-filius, quem ὑποθέσεις εἰς Ὀρφέα scripsisse Suidas refert, ad aetatem Alexandrinam spectat. Certiora adhuc desiderantur.

42) 14. p. 637. b. De Nicomedis incerta aetate v. Voss. de hist. Gr. II, 14. Quem Nicomedem Veri et Marci educatorem fuisse dicunt (Jons. 2. p. 14.), is huc non pertinet.

43) Περὶ Ὀρφέως καὶ τῶν τελετῶν αὐτοῦ Suid. s. v. et Eudoc. p. 50. — Voss. de hist. Gr. II, 14. Fabric. B. Gr. T. 1. p. 141.

certissima conjectura assequutus mihi videor, illinc petitum esse. — Deinde nactus est Aristoteles duos asseclas, qui in eodem argumento tractando versati sunt, Demetrium et Phaeniam [37]); e quorum tamen libris nihil nobis servatum est mentione dignum. Spissius de poetis opus edidit Hieronymus: quintus enim liber laudatur ab Athenaeo [38]). Heraclidis Pontici liber de poetica et poetis non absque laude a veteribus passim allegatur [39]). Metrodori librum ejusdem argumenti Plutarchus laudat [40]). Glauci Rhegini, vel Antiphontis, scriptum de vetustis Graecorum poetis et musicis, jam supra memoratum est, quum de Terpandro, Orphicorum carminum imitatore, exponeremus. Hoc, ut ad nostram aetatem pervenisset, magnopere optandum foret; siquidem in eo de poetis antiquissimo-

---

p. 71. e.); Meiners. (de vero deo p. 188.). Verum ex parte tantum viderunt Harouius (disq. metaph. p. 335-337.), Lambec. (prodr. p. 179.), Tiedemann. (pr. Gr. phil. p. 4. 7. 31.), Clavier. (pr. Gr. temp. T. 1. p. 74.), Gail. (de cultu Bacchi p. 99.). Verum per jocum vidit Kanne (Pantheum p. 414.). — Cur illud Aristotelis judicium prudens habeam, infra apparebit.

37) Demetrius περὶ ποιητῶν et περὶ ποιημάτων. Diog. L. 2. Athen. 10. p. 452. d. 12. p. 548. d. 14. p. 635. b. Jonsius 1. p. 252. Phaenias περὶ ποιητῶν Athen. 8. p. 352. c. d., ubi insigne fragmentum legitur de Stratonico Atheniense, homine facetissimo. Jons. 1. p. 98. De Phaenia cf. Athen. 2. p. 61. f. 64. d. et Schweigh. T. 4. p. 616.

38) Athen. 14. p. 635. f. Gyrald. Op. T. 2. p. 448. b. Jons. p. 29.

39) Περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητῶν. Diog. L. 5. Hujus operis pars fuit περὶ τῶν τριῶν τραγῳδοποιῶν; id quod non intellexit Jons. 1. p. 107.

40) Jons. 1. p. 128. Hunc librum Metrodori respexit Jamblichus V. Pyth. 34. p. 196. (242, p. 476. Kiessl.); indeque refert, omnium dialectorum Graecarum antiquissimam esse Doricam, qua Orpheus, poetarum vetustissimus, usus sit (cf. Valkenaer. de Aristob. p. 77. Harouius disq. metaph. p. 351.). Gravissimum profecto et singulare testimonium, quod nobis haud parvi momenti in posterum erit. Longe igitur alia carmina erant, quae olim sub Orphei nomine circumferebantur, quam quae hodie exstant. Illinc enotarunt grammatici nonnullas verborum formas, mere *doricas*, ut κλᾳδοῦχον (ap. Etym. M. v. Δηώ p. 253, 50.). Itaque antiquiores hymnos Orphicos Ottofr. Mueller. (Dor. 1. p. 312.) jure vocat doricos. Tiedemannus quidem (pr. Gr. phil. p. 34.) hoc nondum capere poterat.

rum Graeciae temporum, Lino, Philammone, Eumolpo, Thamyra, Orpheo, Musaeo, aliisque, separatim expositum erat.

X.

At ne ad inania vota delabamur, statim indicemus, quae postera doctorum Alexandrinorum aetas de Orpheo ejusque poesi scripta vulgaverit. Verum et hic paucos tantum librorum titulos proferre possumus, quibus edax aevum pepercit: plures haud dubie perierunt. Epigenes, de cujus incerta aetate nihil mihi certi definire contigit, scripserat de Orphei, quae vulgo fertur, poesi [41]. Nicomedis librum de Orpheo, aliunde nobis ignotum, semel laudat Athenaeus [42]. Multum promittit titulus libri, quem Apollonius Afrodisiensis ediderat, de Orpheo ejusque mysteriis [43].

Haec et similia scripta, quae illa aetas tulit, partim fraudes spectasse videntur, quibus homines ingeniosi sub Orphei nomine carmina divulgaverant; partim in ipsa poesi supposita explicanda occupati erant; quod de

41) Περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως. Clem. Alex. Str. 1. p. 321. 332. ἐν τῷ περὶ τῆς Ὀρφέως ποιήσεως τὰ ἰδιάζοντα (voces aenigmaticas, v. sup. not. 27.) παρ' Ὀρφεῖ ἐκτεθέμενος. Clem. Alex. Str. 5. p. 571. 585. 604. Sylb. (p. 675. P.). Αὐλίας ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς. Clem. p. 626. S. Valken. de Aristob. p. 75. Lambec. prodr. p. 179. Fabr. Bibl. Gr. T. 1. p. 142. Harl. Souchay. de hym. vet. in Mém. de l'Acad. T. 16. p. 100. De tempore, quo Epigenes floruit, id saltem falsum est, quod Jonsius (1, 15, 5.), et Tiedemannus (p. 40.) affirmant, eum Socraticis temporibus vixisse. Ut Epigenes, ita Sando, Pseudo-Hellanici pseudo-filius, quem ὑπόθεσιν εἰς Ὀρφέα scripsisse Suidas refert, ad aetatem Alexandrinam spectat. Certiora adhuc desiderantur.

42) 14. p. 637. b. De Nicomedis incerta aetate v. Voss. de hist. Gr. II, 14. Quem Nicomedem Veri et Marci educatorem fuisse dicunt (Jons. 2. p. 14.), is huc non pertinet.

43) Περὶ Ὀρφέως καὶ τῶν τελετῶν αὐτοῦ Suid. s. v. et Eudoc. p. 50. — Voss. de hist. Gr. II, 14. Fabric. B. Gr. T. 1. p. 141.

Epigenis scripto constat. Certissimum tamen est, eorum auctores de vera et genuina poesi Orphica, quae ante Homericam aetatem, hoc est, ante cultioris poesis apud Jones tempora, in Graecia floruit, non egisse, neque de illius antiquitate vindicanda cogitasse.

XI.

Quae apud vetustos Patres Christianos, quos vocant, et Platonicos recentiores, quique Pythagoreorum nomen mentiuntur, et alios decrescentis Graecorum aevi scriptores de Orpheo leguntur, ea nemo humanior ita comparata esse existimabit, ut inde auctoritatem ad sententiam aliquam de Orphicae poesis vetustate firmandam stabiliendamque petat. Illis de hac re non poterant certiora innotuisse, quam superioribus aetatibus. Patres, quos appellavimus, sua derivasse videntur e libellis exegeticis, similibusque, quales Epigenem confecisse vidimus; hinc Clemens certe Alexandrinus nonnulla profert, quae absque eo in obscuro essent. Verum Platonici isti et Pythagorei multa nova, nescio e quibus obscuris animi recessibus, divulgarunt, de quibus antea ne fando quidem acceperant aliquid homines cordatiores: istorum potissimum studio factus est Orpheus summus ille philosophus, e cujus mirando systemate praecipua placita sua petierint Pythagoras, Plato, alii. Huc spectat Procli scriptum *de consensu Orphei, Pythagorae et Platonis* [44]). Simile consilium sequutus est Hierocles, qui argumentis, nescio quibus, evincere studuit, Platonem multa ab Or-

[44]) Συμφωνία Ὀρφέως, Πυθαγόρου καὶ Πλάτωνος. Marinus in vit. Procli, 27. ap. Suidam. v. Librum, eodem titulo inscriptum, Syrianus, Procli praeceptor, ediderat. Exstabant quoque olim utriusque commentarii *in Orphei theologiam*, et Syriani Ὀρφικαὶ συνουσίαι. Procl. in Plat. Tim. 2. Fabric. T. 1. p. 142. Eschenb. Epig. praef. Ouwaroff. de myst. Eleus. p. 57.

pheo et antiquis oraculis mutuatum esse [45]). Iidem isti Platonici sua potius decreta et deliramenta, philosopho molimine parum digna, Orphei carminibus recens procusis infarciebant, quam in genuinam et antiquam eorum naturam inquirebant; et insano acumine allegoriarum ludibria captantes, antiquam simplicitatem depravabant [46]).

Quid? quod etiam Judaei Orphei nomine ad celebrandam Dei Israëlis tremendam majestatem, et ad canendas Abrahami Mosisque laudes abusi sunt. Quibus in fraudibus insignes partes tribuendae sunt Aristobulo, quem honoris causa peripateticum appellarunt. Fuit ille doctissimus homo, et de meliore luto factus; qui gloriae, qua alios gentiles frui videret, invidia excitatus, totum se tradidit sermonis Graeci et elegantiorum litterarum studiis; ac, quum benignum principem nactus esset, qui rebus Judaicis faveret, Ptolemaeum Physconem dico, ab inflato ventre sic appellatum, librum scripsit, quo, ut genti suae decus aliquod et auctoritatem conciliaret, demonstrare conatus est, quidquid Graeci bene excogitasse dicerentur, id totum eos derivasse de sacro Mosis prophetarumque fonte [47]). Quo nu-

---

[45]) In libro de fato et providentia ap. Phot. Bibl. cod. 214 et 251.

[46]) Ratio, qua inducti, has improbas, paene dixerim, partes sequebantur, haud dubie quaerenda est in religione Christiana recens vulgata, quam furibundis armis debellare studebant; v. Ouwaroff. de myst. Eleus. p. 50-66. Freret. Mém. de l'Acad. T. 23. p. 263. 269. Foucher. ibid. T. 35. p. 3. Zoëga. Diss. a Welckero edit. p. 222 sq. 301. Muenter. expl. inscript. quae ad myst. Samothr. spectat. p. 18. (Diss. antiq. p. 195.); Creuzer. Symb. T. 4. p. 511. (550.), qui tamen aliud spectat.

[47]) Fortasse Aristobulo consilium quoque erat, Ptolemaeum ad religionem Abrahamidarum traducendi; v. Gyraldi Op. T. 2. p. 75. c-g. Prideaux. hist. Jud. T. 3. p. 390. Moshem. ad Cudw. T. 1. p. 445. Tiedemann. pr. Gr. phil. p. 66. Santocr. de myst. T. 2. p. 60. — Peccavit Souchay. (de hym. vet. in Mém. de l'Acad. T. 12. p. 14.), qui Aristobulum primo nostrae aerae seculo vixisse putat. A Valkenario (p. 28. 29. 36 sq. 44. cf. Wesseling ibid. p. 131.) ejus aetas certo definita est. — Qui Aristobuli Orpheum Palaestinum cognoscere cupit, is legat versus Orphicos ap. Euseb. pr. ev. 13, 12. p 663 sq. Clem. Alex. protrept. p. 63. Str. 5. p. 723, 9. P. V. Eschenb.

gatorio libello omnes posthac Patres Christianos elusit, in primis Clementem Alexandrinum et Eusebium.

Caeterum de magno Orpheorum numero, quem Graeci scriptores afferunt, quid statuendum sit, incurrit in oculos. Quippe serior aetas quum tot tantaque, et tam diversa inventa ac artium disciplinas, quas superiora tempora in unum Orpheum coacervaverant, ad unum referri non posse intellexissent, ubique circumspicere coeperunt, ut singula ista inter singulos ejusdem nominis homines, qui diversissimis plerumque temporibus vixerant, dividerent. Sic in scenam prodiit Orpheus theologus, musicus, hymnoedus, epopoeus, magus, medicus, astrologus, astronomus, summusque philosophus [48]). Quo factum est, ut isti divisores, ad arbitrium agentes, carminum Orphicorum auctores facerent, quos carminum pangendorum libido numquam invaserat. Nihil igitur mirum, si Ciceronis etiam servulo, cui idem nomen contigerat [49]), aliquas fortasse in hac re partes tribuerint.

Epig. p. 140-148. Valkenaer. p. 12-16. Hae sententiae Palaestinae miris modis torserunt olim viros doctos, Scaligerum (ap. Steph. poes. phil. p. 218 et in Fr. vet., operi de Emend. Temp. subj., p. 48.), Casaubonum (ad Athen. 4. p. 130 f.), Davisium (ad Cic. de N. D. 2, 64.), Hugonem Grotium (ad ev. Matth. 5, 31.). Horum enim virorum judicia eo redeunt, ut putent, Orpheum in Aegypto cum Mose vel familiaritatem contraxisse, vel ex ejus libris divina illa hausisse. Mira profecto opinio; quae tamen eam habuit vim, ut ne hodie quidem ab ea recesserint creduli.

[48]) Veterum de pluribus Orpheis sententias refert Suidas v. Ὀρφεύς et ἄλλως; Eudocia p. 318.: quas deinde repetierunt Meursius, Lilius Gyraldus, et alii, quorum nomina afferre longum foret. Eandem divisionem Musaei quoque nomen expertum est; inter tres distinguit Heyne ad Apollod. p. 860.; inter duos Sanctocruc. de myst. T. 1. p. 120.; qui tamen ejusmodi divisiones ipse damnat T. 2. p. 47.; cf. etiam Hanovium disq. met. p. 351. Nuperrime Passowius ex tota antiquitate undecim Musaeos compulit (p. 89-93. cf. p. 215.), quorum alii inepti sunt homines, nec mentione digni; alii non erant distinguendi, ut Thrax et Atheniensis; quam distinctionem fortasse ab eo non expectasses, qui eam improbaverat (p. 25.). — cf. Fabr. B. Gr. T. 1. p. 122.

[49]) Cicero ad div. 11, 4. Idem nomen servo suo, qui quadrupedes in θεατρίδιον convocaret, Q. Hortensius per jocum dederat. Varro de R. R. 3, 13. Voss. Op. T. 3.

XII.

Non defuerunt inde a renatis litteris usque ad nostra tempora, qui ad Orpheum studia sua conferrent. Orpheotelestas et Orpheomastiges ut inter veteres deprehendimus, ita iidem inter recentiores quoque et fuerunt, et sunt, eruntque. Hugo Grotius, Lilius Gyraldus, Josephus Scaliger, Gerhardus Vossius, clarissima olim nomina, quid ad hanc quaestionem passim monuerint, et quid in ea profecerint, suo loco indicatum est. Kirchbachius, quantum equidem scio, primus fuit, qui peculiari libello de rebus Orphicis ageret [50]). Sed quam male is rem suam gesserit, et quam nihil profecerit, sciunt, qui turbulentissimos fontes, e quibus sua hausit, cognoverint. Neque saniora paulo ante Kirchbachium docuerat Radulphus Cudworthus, eruditus Britannus [51]); qui ex Orphicorum carminum fragmentis, quae apud Proclum atque alios ejusdem scholae philosophos, et apud Eusebium et Clementem leguntur, demonstrare conatus est, antiquum Orpheum divino plane ore cecinisse, unumque tantum Deum docuisse, qui sanctam trinitatem *βουλήν, φάος, ζωήν* in se incluserit [52]).

T. 3, 1. p. 194. Orpheum helluonem cognoscere poteris ap. Athen. 8. p. 340. e. — Mixidemus servum suum arroganter appellabat Musaeum (v. Lysiam ap. Ael. Harpocrat. p. 121.); quem hominem Suidas (v. Μουσ.) pingui errore *philosophum* fecit. v. Passow. p. 25.

[50]) *De theologia Orphei.* Witteb. 1685. 4. Merae hallucinationes de Orpheo vel theologorum vel philosophorum Graecorum principe; qui, quo referri debeat, supra indicavimus. — Omnia huc pertinentia recensere molestum est negotium; praesertim quum nihil inde sapere discamus. Collecta, vel ubi viri docti collegerint, indicata sunt in Fabricii B. Gr. T. 1. p. 143-146.

[51]) In *systemate intellectuali hujus universi* T. 1. c. 4. Cantabrig. 1671. Cudworthi rationes magnopere restrinxit ingeniosus Moshemius, qui ejus opus latine reddidit.

[52]) Haud exiguus est eorum numerus, qui easdem partes sequerentur; recensentur a famoso Jesuita, Athan. Kirchero in *Oedipo Aegyptiaco* P. 1, 1. p. 151. 194., Petro Huetio in *Quaest. Alnet.* p. 95.; et a Gabriele Naudaeo in *Apologia pro m. viris falso magiae accus.* p. 138.

Andreas Christianus Eschenbachius, quae ad disciplinam Orphicam spectant, accuratius, quam antea factum erat, collegit et disposuit in libro, quem ab erudito antiquitatis interprete rerum Orphicarum *Epigenem* inscripsit [53]). Sed in Orphei dictis explicandis totum se praebuit recentiorum Platonicorum argutiis, qui plus ad corrumpendas, quam rite interpretandas veterum poetarum sententias contulerunt. Ubique suam disciplinam, quam fieri poterat arctissime, Christianorum praeceptis accommodabant; neque minori studio annitebantur, ut vetustissima esse sua decreta, et a primis Graeciae poetis profecta, convincerent. Hinc frequentissima trismegisti Orphei mentio apud eos.

Orpheum philosophum iterum in scenam introduxit Bruckerus [54]), qui multa melius constituit; multo vero plura e fontibus credulus incautusque hausit, quos hodie accedere pudet. Francogallorum de eodem argumento lucubrationes jam satis cognosci possunt ex iis, quae passim a nobis illinc prolata sunt [55]).

---

53) Editus est liber Norimberg. 1702. 4. De libri inscriptione vide ipsum p. 138 et p. 187.

54) *Historia cr. philos.* T. 1. p. 373-400. T. 6. p. 202-209. In multis pendet ab Eschenbachio. Meliora hausit e Petri Lambecii *prodromo historiae litterariae* p. 168-181. (ed. 1710. f.). Horum vestigia deinde legerunt Christophorus Honouius in *Analectis de Orpheo* (Disquisitt. metaphyss. 1750. 4. p. 335-352.), et Hauptmannus in *tribus prolusionibus de Orpheo* (1757. 4.), ita tamen, ut interdum ad antiquiores limpidioresque fontes reverterentur. Uberrima materies congesta jacet apud Fabricium T. 1. p. 140-180. — Sed quam parum hi ad dijudicandam quaestionem de origine et aetate rerum Orphicarum profecerint, intelligent, quibus otium erit, caecos istos acervos iterum lustrandi; nam acervi sunt,

Nec quidquam, nisi pondus iners; congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.

55) Franguier. *de vita Orphica* in Mém. de l'Acad. T. 5. Barrius T. 16. Foucher. T. 35.; ut alia praetereamus, quae in grandi illo opere disjecta leguntur. Ingenio magis fidit, quam veritatem sectatus est Depuis: *Origo omnium cultuum* T. 1. Nec ab

Quae Ruhnkenius, Meinersius, Schneiderus [56]), aliique, de Orphicis carminibus disputarunt, ea, quum hunc in primis finem sequantur, ut quid non sit Orphicum potius, quam quid sit Orphicum, appareat, vix alicujus momenti nobis videri debent.

Sequuta sunt tempora, quibus in duas diversissimas partes discesserunt viri in his litteris primarii, Heynius et Vossius. Heynianas partes non sine laude propagat Creuzerus: nec desunt Vossio, venerando seni, adhuc suam ipsius disciplinam strenue et indefesso animi vigore defendenti, qui etiam in posterum omnium rerum Orphicarum osores, et immodici vituperatores se profiteantur; sicuti et Creuzerus habebit, qui omnia, quae a veteribus umquam de Orpheo prodita sunt, summae antiquitati vindicent.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Lectu dignissima sunt, quae Heynius, vir immortalis, quaestioni de antiquissima Graecorum poesi praelusit. Plures ejus observationes per plura ejus scripta dispersa sunt, ut: *de efficaci ad disciplinam publicam privatamque vetustissimorum poetarum doctrina.* Deinde: *de causis mythorum veterum physicis.* Tum: *de litterarum artiumque inter antiquiores Graecos conditione, ex Musarum aliorumque deorum nominibus muniisque*

ingenio, nec a veri studio, nec ab ulla alia re se commendat libellus a Delillio de Sales editus: *Homeri Orpheique historia.* Cf. de ejus ineptiis Ouwaroff. de myst. Eleus. p. 103. — Nec Cromazianius quaestionem promovit: *Della histor. e della indole di ogni filosofia* T. 2. c. 16. (Venet. 1782.).

[56]) Ruhnken. Ep. Crit. II. p. 228 sq. (69.). Meiners. *de vero Deo* p. 188-202. *Bibl. philol. Gotting.* T. 3. p. 112 sq. Schneider. *Analecta Critica* 1, 4. Horum virorum scripta aliis deinde ansam praebuerunt, ratione potissimum habita Argonauticorum, ut Huschkio (1806.), Koenigsmann. (1810.), Hermann. (1811.).

declarata [57]). Porro: *de theogonia ab Hesiodo condita; de causis fabularum Homericarum; de Musis; de sacris cum furore peractis* [58]).

Quomodo Orpheus in Aegyptum iter susceperit, ibi cum sacerdotibus amicitias junxerit, et poesin omniumque artium disciplinas atque mysteria in Graeciam transfretaverit; has quisquilias si quis cognoscere cupit, adeat librum, quem Lücke edidit *de Orpheo et mysteriis Aegyptiorum* [59]).

Primos Graeciae philosophos, quos Jonicorum nomine appellare solemus, decreta sua de mundi origine rerumque natura non invenisse, sed mythica Orphei philosophia novo modo usos esse, acutissima et accuratissima Bouterweckii disputatione, *de primis philosophorum Graecorum decretis physicis*, comprobatum est [60]).

Georgius Zoëga omnia, quae apud veteres auctores exstant de Orpheo loca, congesserat olim, et secundum temporis ordinem disposuerat [61]);

---

[57]) Opusc. Academ. T. 1. p. 166 sq. p. 184 sq. T. 2. p. 306 sq.

[58]) Commentt. Soc. Gotting. T. 2. p. 125. T. 8. Novi Commentt. Soc. Gotting. T. 7. Alias dissertationes, in eandem sententiam a se scriptas, indicavit Heynius ad Homer. T. 8. p. 565. Praeter Heynium alii quoque idem argumentum magis perstrinxerunt, quam sedulo in id inquisiverunt, varios quidem fines spectantes, ut Herderus olim, et Pauw., qui rationes temporum et historiam mire neglexerunt. Quid de Fr. Schlegelii disputatione de aetate Orphica sentiam, infra indicabo. Quae Fr. Jacobsius de eodem argumento prodidit, leguntur in Supplemm. ad Sulzer. T. 1, 2. p. 266 sq. Deinde silentio praetermittendus non est Godofr. Hermannus, qui (in *Epistolis ad Creuzerum* datis) plura egregie observavit. Neque Creuzerus sua laude fraudandus est, quam meruit (in *Epistolis ad Hermannum* redditis, et in Symbol. T. 3 et 4.). Vide etiam Ouwaroffium *de aetate ante-Homerica.* Petrop. 1819.

[59]) Hafniae 1786. 8. Parum notus est hic liber. Ne Creuzerus quidem, curiosissime harum rerum studiosus, eum nosse videtur.

[60]) 1811. in Commentt. recentior. Societat. Gotting. T. II.

[61]) Asservantur ejus reliquiae Hafniae; res Orphicas continet Nro. 5. vid. Zoëgae vitam, a Welckero concinnatam, T. 2. p. 443. Se Orphica editurum Zoëga ipse dicit in diss. a. Welckero ed. p. 224.

inde haud dubie compositurus aliquando introductionem, quam novae carminum Orphicorum editioni praemitteret. Fatum vero nobis invidit hoc subsidium; quod quanti momenti nobis futurum fuisset, facile intelligent, qui perspicax illius viri ingenium noverint.

Elegantiorem et subtiliorem ejusdem quaestionis explicationem a Fr. Aug. Wolfii acumine propediem expectamus; qui vir doctus in Graecae poesis primordia se aliquando inquisiturum saepius significavit [62]). Haberet profecto alma Philologia, quod lugeret, si tantam spem sibi praecisam, tanto emolumento se privatam, omniaque in herba periisse videret. At nondum omnis dulcis nobis erepta est spes; et utinam diu maneat!

XIII.

Rem igitur tractaturi sumus, in qua jam multi quum antiquioris tum recentioris aevi vario et diversissimo consilio atque eventu elaborarunt: quorum studio et diligentia jamjam res eo adducta esse videtur, ut argumentis vel perfectis, vel denique veri speciem prae se ferentibus probari possit, poesin Orphicam, eamque ad mysteria accedentem, ante aetatem Homericam in Graecia floruisse. Neque hanc spem nobis eripit longinqua Orphei vatis vetustas. Nam falsa, inquit Fr. Aug. Wolfius [63]), est eorum opinio, qui sola longinquitate temporis universae historiae fidem infringi, et, ut quidque novissime gestum sit aut scriptum, ita verissimum maximeque genuinum habendum putant. — Tempus ac dies optime dedocet credulos de iis ipsis, quae propemodum suis oculis geri viderunt.

Quaestionem illam quo ordine exsequi nobis propositum sit, hic statim indicandum videtur. Tribus absolvetur capitibus. Primum e veterum

62) Praef. II. ad Hom. p. x. Praef. III. p. LXXXV.

63) Prolegg. ad Hom. p. XXXV.

scriptorum testimoniis, quantum inde certo nobis colligere licet, docere conabimur, quodnam temporis spatium poesis Orphica inde ab ejus origine usque ad Homeri aetatem complexa sit, et quomodo paullatim immutata sequentibus seculis tradita sit. Deinde accuratiorem regionum populorumque, quibus poesis illa originem suam debeat, descriptionem subjungamus, omnemque Graeciae tunc temporis statum paucis indicabimus. Tum sequetur disquisitio de natura illius poesis; de origine mysteriorum, in antiquissima Graeciae tempora recedente; de cultu Bacchi, ejusque oraculis, institutis mysticis, apud Thraces.

In hac igitur satis ampla disputandi materie, ne omnia fuse explicando opella nostra in nimiam molem accrescat, indeque lecturis molestia contrahatur, eo utamur temperamento, ut gravissima quaeque, et huic quaestioni solvendae saluberrima, paucis exsequamur.

Εἴθ' Ὀρφέως μὲν εἶχον, ὦ πάτερ, λόγον! —

Caput I.

ORPHICAE POESIS AETAS.

Ὀρφεὺς μὲν ἦγε πάντ' ὑπὸ φθογγῆς χαρᾷ.

XIV.

Duplex in primis vulgata est de aetate Orphicae poesis sententia, in quam et veteres discesserunt et recentiores. Altera, cui defendendae non desunt hodie, qui nomina profiteri vix erubescant, nullum Homero antiquiorem poetam agnoscit. Proinde Orphei nomen, ad tempora Homero superiora quamvis spectet, ad poesin tamen haud traducendum esse docet; utpote cujus decreta et cogitata Onomacritum Pisistratidarum demum tempore versibus descripsisse, et poeticis coloribus temperasse ferant. Altera, eaque communi constantique totius melioris antiquitatis consensu firmata, proximis ante Homerum seculis Orpheum poetam fuisse evincit, a quo poesis genus, ab epico carmine diversissimum, profectum et excultum sit. Alteram, opinionum quarundam cupide et praepostere firmandarum causa inventam, si quis operose refelleret, mire eum operam lusisse dicerem. Altera dignissima est, quae ab omni parte contra aliorum dubitationes defendatur. Infinitis autem implicita est difficultatibus, quas, nulla adhibita conjectura, ne sagacissimo quidem removere continget.

Quod ad priorem istam attinet, tres tantum, iique satis intestabiles, aut dubiae auctoritatis testes, ei confirmandae adhiberi possunt. Primum

Aristidis scholiasta plures veterum recenset, quos statuisse opinatur, Graecis ante Homerum poesin omnino ignotam fuisse; Herodotum, Aeschinem, Androtionem, Aristidem [1]). Deinde Philoponus: "Aristoteles, inquit, Orphei carmina *vulgo sic dicta* appellat, quia non videntur ab ipso Orpheo scripta esse; id quod in libro *de philosophia* ipse affirmat. Ipsius quidem Orphei sunt decreta, quae Onomacritum carmine exposuisse ferunt [2])". Tum Tatianus, qui iisdem fere verbis utitur; neque tamen ad Aristotelis auctoritatem provocat, sed ineptam aliorum iterat sententiam [3]).

Quarum opinionum si quis originem et causam circumspexerit, facile deprehendet, e quibus sordidis erroribus istae profluxerint. Quae veterum historicorum et oratorum loca Aristidis scholiasta affert, ut nullam ante Homerum poesin inter Graecos viguisse demonstret, ea omnino non intellexit.

Herodotus, loco celebratissimo, quem unum iste respicere poterat: "Hesiodus atque Homerus, inquit [4]), primi fuerunt theogoniae Graecorum

---

[1]) Schol. ms. Leidens. ad Aristidis orr. Panath. Miltiad. p. 165. Jebb: — ἀρχαιότατος ἐστιν Ὅμηρος, ὡς ἴσμεν· εἰ δέ τις εἴπῃ· "καὶ μὴν πρὸ αὐτοῦ γέγονε Ὀρφεύς"· πρὸ αὐτοῦ γέγονε, τὰ δὲ δόγματα Ὀρφέως Ὀνομάκριτος μετέβαλε δι' ἐπῶν, χρόνῳ ὕστερον Ὁμήρου γενόμενος. Quem locum ex eodem codice, quum apud Burmannum olim esset, curtatum exhibuit Valkenarius (de Aristobulo Jud. p. 83.); integrum descripsit Creuzerus ad Cic. de N. D. 1, 38. p. 175. cf. Symbol. T. 3. p. 140. (151.)

[2]) καλουμένοις, εἶπε, ὅτι μὴ δοκεῖ Ὀρφέως τὰ ἔπη, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τῷ περὶ φιλοσοφίας λέγει· αὐτοῦ γὰρ εἰσι τὰ δόγματα, ταῦτα δέ φασιν Ὀνομάκριτον ἐν ἔπεσι καταθεῖναι; ad Aristot. de anima p. 2. ed. Venet. 1553. Hanonius disq. metaph. p. 347. Haec Philoponus Sexto Empirico fortasse debet, quem tamen male intellexit; Pyrrh. hypotyp. 3, 30. adv. Mathem. 9, 361. cf. p. 70. (ubi Orpheus vocatur ὁ ἀδόλογος); pejus etiam Meiners. (de vero deo p. 190 sq.) eundem cepit.

[3]) τὰ εἰς αὐτὸν (τὸν Ὀρφέα) ἔπη φερόμενα (perperam Lambec. Prodr. hist. litter. p. 176. conjecit ἐπεισφερόμενα) φασὶν ὑπὸ Ὀνομακρίτου τοῦ Ἀθηναίου συντετάχθαι, γενομένου κατὰ τὴν τῶν Πεισιστρατιδῶν ἀρχὴν, περὶ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα; contra Graec. 54. p. 167. v. Voss. de art. poet. 13. 3. T. 3, 2. p. 31. de sect. philos. 3, 4. T. 3, 3. p. 286. b. Op.

[4]) 2, 53. Quantopere autem sollicitus fuerit Herodotus, ne quis aut famam aut testem antiquiorem se sequutum esse existimaret, vel ex eo apparet, quod, quum jam

conditores. — Qui vero his antiquiores poetae habentur, serius, *ut mihi quidem videntur*, vixerunt". Cui loco ex sanis judicandi et interpretandi

---

jam semel dixisset ἐμοί γε δοκέειν, paucissimis interjectis, addit: τὰ δὲ Ἡσίοδον τε καὶ Ὅμηρον ἔχοντα ἐγὼ λέγω. — Post explicationes quasdam insignis illius testimonii admodum leves Francogallorum aliorumque (ut Barrii, in Mém. de l'Acad. T. 16. p. 3. 9. 13.; V. D. in ejusdem operis T. 23. p. 22.; Foucherii T. 35. p. 3-8., et Meinersii, audacissimi hominis, qui, de vero deo p. 173.: "Tenendum est, inquit, ante Homerum atque Hesiodum nullos vetustiores exstitisse"; adde Cudworth. syst. intellect. T. 1. p. 438 sq. ibiq. Moshem., Hanou. disq. metaph. p. 336.), meliores acutioresque proposuerunt Heynius (de theogon. ab Hesiod. cond. Commentatt. Soc. Gotting. T. 2. p. 132 sq., de myth. Homer. natura. Commentt. T. 14. p. 156. 157., ad Homer. T. 8. p. 566 sq.; cujus viri docti explicationi propius accesserunt Herodoti interpretes, Wesselingius, Larcherius, Schweighaeuserus l. l., et Wyttenbachius in Biblioth. Crit. Amstel. T. 2. P. 6. p. 83. 84., et ad Platon. Phaedon. p. 129., Fr. Schlegelius, Gr. poes. hist. p. 17. 24. 40. 45., Zoëga de Obelisc. p. 215., Ouwaroffius de myster. Eleus. p. 12 sq., de aetate Ante-Homerica p. 11. 15.), Heerenius (Ideen. T. 3. P. 1. p. 81 sq. (p. 79 sq.)), Zoëga (Dissertt. a Welckero edit. p. 297.), Thierschius (de Hesiodo in Dissertt. Academ. Monacens. 1813. p. 7.); cf. Creuzer. Symbol. T. 2. p. 297. 451. T. 3. p. 140. (152.). Epistol. ad Hermann. p. 10. 27. — Quomodo Hesiodus et Homerus primi Graecae theogoniae conditores ab Herodoto vocari potuerint, egregie explicuit Heerenius (l. l.); non ceperant Plessingius (Memnonium T. 1. p. 552.), Tiedemannus (pr. Gr. phil. p. 16.), Fr. Aug. Wolfius (Prolegg. ad Homer. p. LIV.), Valkenarius (de Aristobulo Jud. p. 83.), Clavierius (hist. pr. Gr. temp. T. 1. p. 77.), Hermannus (Epistol. ad Creuzer. p. 11.), Ritterus (Vorhalle p. 277.); nuperrime Gailius (de cultu Bacchi p. 103.), et Schubarthius de Homero p. 15. 267. — Minus placet aliorum sententia, qui Herodoti locum non de aetate, sed de dignitate et auctoritate Homeri et Hesiodi accipiunt; Aelianus saltem: ποιητικῆς ἁπάσης Ἀργεῖοι τὰ πρῶτα Ὁμήρῳ ἔδωκαν, δευτέρους δὲ αὐτοῦ ἔταττον πάντας, quae ratio deinde severo Grammaticorum Alexandrinorum judicio magis etiam confirmata est. Sed observatione fortasse dignius est, quod Herodotus Hesiodum Homero praeponit; nam casu hoc fieri (ut *Zoëga* opinatur, Diss. p. 297.) vix potuit. Tres apud veteres de Hesiodi aetate exstant sententiae. 1) Hesiodus Homero antiquior. 2) Homero aequalis, 3) Homero junior: quarum quae prima est, antiquissimam habeo, quandoquidem ad Ephori usque aetatem invaluit; neque alia nota fuisse videtur priorum temporum Graecis. Praeter Herodotum, Plato quoque Hesiodi nomen Homero praeponit (de Rep. 2. p. 363. a. 364. d. T. X. p. 612. Bip. et alibi; non ita Pseudo-Plato in Jone p. 531. a.); Aeschylus apud Aristophanem (Ran. 1066.) in antiquissimis poetis recensendis hunc servat ordinem: Orpheus, Musaeus, Hesiodus, Homerus; nec

regulis, nonnisi hic sensus tribui potest: "ex iis, quae Herodoti temporibus ferebantur, carminibus, Hesiodi et Homeri antiquissima esse; quae

---

Chrysippus (ap. Galen. de dogm. Platon. et Hippocr. 3. p. 126. 127. ed. Aldi. T. 1. p. 273., et ap. Cic. de N. D. 1, 15.), nec Hermesianax, Philippo Macedoni aequalis (ap. Athen. 13. p. 597. b. Ruhnken. Ep. Crit. II. p. 283.), nec Alexis, antiquus comicus in fabula, cui Lini nomen (ap. Athen. 4. p. 164. b. vid. Porson. Adverss. p. 63. Jacobs. Additamm. animadverss. p. 103 sq. Schaefer. Meletem. p. 76. Naecke de Choerilo Samio p. 5 sq.), nec Horatius, qui antiquos Graecorum poetas imitatur (ad Pison. 391; nam clarum est, ibi ad Hesiodum simul respici his verbis: Fuit haec sapientia quondam, publica privatis secernere, sacra profanis, concubitu prohibere vago, dare jura maritis, oppida moliri, leges incidere ligno), alium sequuti sunt ordinem. Neque ab eodem ordine in canone suo Grammatici Alexandrini recesserunt. Memorabile saltem est, quod Suidas (v. Πανύασις.) narrat, Panyasim positum esse inter poetas statim post Homerum. Quo loco non obscurum est, eum respexisse canonem Alexandrinum. Suidae verbis: ἐν δὲ ποιηταῖς τάττεται μεθ' Ὅμηρον, addunt quidem vulgata exemplaria: κατὰ δέ τινας καὶ μεθ' Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον; quae tamen a mala manu adjecta videntur, et recte absunt a codice Gronovii. Illinc autem apparet, in canone Alexandrino Homeri nomen post Hesiodum lectum esse. Nam quae Naeckius monet (de Choerilo p. 18.), nullam apud me vim habent. Caeterum Suidae verba, de Panyasi statim post Homerum posito, fortasse ita intelligenda sunt, ut Hesychii Milesii de Choerilo, qui σὺν τοῖς Ὁμήρου ἀναγινώσκεσθαι ἠξιώθη (de viris eruditione claris p. 40. Meurs. Naecke. p. 34.). — Quid? quod Ephorus eandem illam de Hesiodi aetate sententiam, nescio quibus argumentis, defendere studuit (ap. Gell. Noct. Att. 3, 11. v. Ruhnken. ad Vellej. Pat. p. 26. Meier-Marx p. 269.). Unde hoc duntaxat elicio, Ephori temporibus dubitari de Hesiodi aetate coeptum esse. Deinde haud exigui momenti Marmoris Parii auctoritas est, secundum quam Hesiodus floruit 944; Homerus vero 907. a. Ch. n. (ep. 44. 45. p. 24. ed. Chandler.). Cum his optime congruunt noti illi versus, in quibus Hesiodus gloriatur, se, juvenem Homerum et in certamine Deliaco vicisse et in Chalcidico (Philochorus ap. schol. Pind. Nem. 2, 1. Eustath. ad Il. 1. p. 5, 30. Rom. v. Loesn. p. 444. Siebelis. Fr. p. 105. — Hesiod. ἔργ. 651-656. Paus. 9, 31. Dio Chrys. or. 2. init. Gyrald. Op. T. 2. p. 49. b. 98. g. 102. e.). Alia aliorum auctorum testimonia, de Hesiodo juniore aetate Homeri, juniora sunt, quam ut in re tam gravi eorum ratio haberi possit (ut Cic. Cato c. 15. de Rep. 3. Vellej. P. 1, 7. Varro. ap. Gell. 3, 4. Sext. Emp. adv. Mathem. p. 41. Euseb. pr. ev. 10, 11. p. 490. a. ed. Vig. Chron. ser. 1. p. 36. Chron. can. p. 132. Scal. Syncell. Chr. p. 180. d. Tatian. adv. Gr. 38. p. 166. ed. Col. et quae congessit Gerh. Voss. de poet. Gr. 2. T. 3, 2. p. 199. 200. Robinson. Diss. p. 59. 90-95. Harless. ad Fabric. T. 1. p. 567 sq. Manso Addit.

vero ferrentur alia, tamquam antiquiora, aliorum carmina, eorum auctores post Hesiodum et Homerum fuisse". Secus enim qui cum Aristidis scholiasta explicant, in miram Herodotum conjecerunt contradictionem; quippe quem alibi de poetis Homero antiquioribus loqui certissimum est [5]).

---

ad Sulzer. T. 3. P. 1. p. 50.). — Si qui hodie J. H. Vossio (Epist. mythol. II. p. 95 sq. Weltkunde p. XVI. XX. in Ephem. L. J. 1804.), et Fr. Thierschio (de Hesiodo l. l.) ducibus opinantur, Hesiodi aetatem longissime (duo integra secula) ab Homerica abesse, id longissime a veritate abest. Ineptissimis argumentis hac in re usus est Schubarthius (de Homero p. 15. 16.). — *Hesiodus et poesis argumento, et aetate, et loco, quo cecinit, vetustissimis Graecorum vatibus, Orpheo Musaeoque, propior est, quam Homerus.* Si plures notiones novae et imitationes locorum Homericorum, et terrarum populorumque auctior explicatiorque notitia in Theogonia et Scuto Herculis exstant; his argumentis non eam tribuere vim poteris, ut Hesiodum, qui Opera et Dies, quae vocantur, cecinit, de antiquitate sua detrudant. Theogoniam qui condidit (Aristarchus ab ipso Ascraeo vate profectam credidit. Schol. ad Il. 18, 39. Wolf. Prolegg. p. CCLVIII.), antiquissimus poeta est, si a recentioribus interpolationibus et ineptis additamentis discesseris. Auctores Scuti, καταλόγων vel Ἠοίων, Melampodiae, pluribus fortasse seculis Homericum aevum subsequuntur. Auctori καταλόγων jam Aristarchus inferiorem tribuebat aetatem. Schol. ad Il. 24, 30. Suid. et Apollon. v. μαχλοσύνη. Wolf. l. l. p. CCLXXIV. "In ἔργοις, inquit Wolfius (Prolegg. p. XLIII.), loci sunt πάνυ venerandae vetustatis signati". In eodem carmine fabulae occurrunt, quae summam antiquitatem suam ipsae testantur (cf. Heyne Commentt. Gotting. T. 14. p. 157.). — Prosodica argumenta, a Thierschio Hesiodi carminibus admota, ejusmodi plerumque sunt, quae nihil probent. Novatus autem verborum usus, quem idem vir doctus in Hesiodo deprehendit, partim ex iis carminibus, quae jam veteres vati illi abjudicarunt, derivatus est, partim perperam notatus; e. c. ὥστε eadem significatione, qua apud Hesiodum (ἔργ. 44. v. Acta Monacens. T. 1. P. 3. p. 309. 310. Thiersch. de Hes. p. 13.) occurrit, jam comparet apud Homerum (Il. 9, 42.). — Caeterum Fr. Schlegelius si Hesiodeae poesis naturam ita comparatam esse dicit, ut, nonnisi carmine Homerico dudum exculto, illa oriri potuerit, id, quum absque ulla ratione et citra omnem probabilitatem pronuntiatum sit, haud majoris momenti facio, quam ridicula argumenta, quae Attius olim adduxerat, ut contrarium probaret (ap. Gellium 3, 11. v. Wolf. Prolegg. p. CXXIX.), et posthac Gianrinaldo Carli in vers. Hesiod. Introd. p. XXXIII. Sed accuratiorem hujus rei explicationem notulae angustiae non capiunt, neque ea hujus est loci. Alio tempore nostram sententiam ab omni parte tutam praestabimus.

5) Exempli causa 2, 23. et ἱεροὶ λόγοι 2: 51. 52. 81. Creuzer. Symbol. T. 3. p. 142. (154.). Epist. ad Herm. p. 28.

Ac quos alios intelligit, nisi Orpheum, Musaeum, etc., quum antiquum Bacchi cultum post Melampodem a sequentibus *σοφισταῖς* magis amplificatum esse prodit [6])? Itaque nihil aliud Herodotus vult, quam quod serius Pindarion, Josephus, et alii cordatiores iterarunt, nihil Homeri carminibus antiquius ad sua tempora pervenisse [7]). Aeschines et Aristides, qui Homerum vocant *τὸν ἀρχαιότατον*, haud dissentiunt ab Herodoto.

De Androtionis quoque auctoritate, quam scholiasta Aristidis credulus sequitur, certiora nobis contigit pronuntiare [8]). Etenim ille quoniam Or-

---

[6]) *Μεζόνως ἐκφῆναι τοὺς ἐπιγενομένους τούτῳ σοφιστάς.* 2, 49. Creuzer. Symbol. T. 3. p. 168. (180.). Epist. ad Hermann. p. 51. Possit sane Herodotus cum contemtu quodam vetustos illos poetas respexisse videri iis, qui genuinum et proprium vocis *σοφιστὴς* sensum ignorant. Ipse Herodotus alibi honorificentissimos homines, ut Solonem (5, 113.), et artifices doctissimos, adeoque Pythagoram *σοφιστὰς* appellat (4, 95.). Pherecydes Lerius Philammonem eodem nomine honoravit (ap. Schol. Il. 2, 432. Sturz. Fr. p. 118.). Ipse Jupiter est *σοφιστὴς* (Plato Min. p. 509.). Vetustioribus in primis poetis et musicis idem nomen tributum est, ut ab Aeschylo (ap. Athen. 14. p. 632. c. cf. Gyrald. Op. T. 2. p. 27. c. Voss. de art. poet. T. 3, 2. p. 8.), a Pindaro (Isth. 5, 36. ibiq. Schol. et Clem. Alex. Str. 1. p. 237. cf. Casaub. ad Athen. 1. p. 14. c.), ab Euripide (Rhes. 930. 953.), a Sophocle (ap. Eustath. ad Hom. Il. 15. p. 1028. extr. cf. Brunck. Lex. Sophocl. v. *Σοφιστής*), a Cratino (ap. Diog. Laer. 1, 12.). Invidiosa ista notio Socraticis demum temporibus huic nomini adhaesit; quum philosophi quidam, ingenti fastu elati, id sibi vindicare coepissent, quorum contorta et perversa docendi ratio propter nominis similitudinem ad Solonem, pingui profecto errore, translata est ab Isocrate (*περὶ ἀντιδόσεως* 2. p. 412. Btt.), a Cicerone (de Orat. 3, 28.), et a Plutarcho (Themist. 1. p. 441. Reiske. cf. Meiners histor. discipl. Gr. T. 1. p. 115.).

[7]) Pindarion apud Sext. Emp. adv. Mathem. 1, 203. p. 259.: *ποίημα οὐδὲν πρεσβύτερον ἥκειν εἰς ἡμᾶς τῆς Ὁμήρου ποιήσεως.* Foucher. Mém. de l'Acad. T. 35. p. 7. Plessing. Memnon. T. 1. p. 552. Fr. Schlegel. Gr. poes. hist. p. 17. Passow. Musae. p. 38. — Josephus contr. Apion. 1, 2. p. 439: *ὅλως δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν οὐδὲν ὁμολογούμενον εὑρίσκεται γράμμα τῆς Ὁμήρου ποιήσεως πρεσβύτερον,* Wolf. Prolegg. p. LXXVII. CCLXVI. Theodosius in Beckeri Anecdotis Graecis T. 2. p. 785, 20.: *ἀλλ' οὐδὲ πρεσβύτερον ἄλλο τῆς Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας σώζεσθαι ποίημα.* cf. T. 3. p. 1170.

[8]) Aelian. V. H. 8, 6. Schol. ad Soph. Oed. Col. 1046. Siebelis. Fr. p. 117. Creuzer. Symbol. T. 2. p. 284. (T. 1. p. 263.). Vid. quae supra diximus. p. 31 sq.

phicae aetati usus litterarum nondum notus fuerit, carmina non potuisse confici, omnesque de Orpheo *poeta* fabulas fictas esse statuit. Ridiculus esset, qui ejusmodi argumenta hodie refelleret, post praeclaram Fr. Aug. Wolfii disputationem de litterarum usu inter Graecos [9]).

---

[9]) Prolegg. ad Hom. p. XL sq. Acceptissima haud dubie Wolfio fuissent nonnulla veterum Grammaticorum loca, quae hodie apud Beckerum legimus; quorum unum, quia a saniore, quam Androtionis, judicio profectus, et ex vetustiore fortasse fonte derivatus est, totum huc transscribamus (T. 2. p. 785.): φασὶ δέ τινες ὅτι ἕως τῶν Τρωικῶν οὐκ ἐγνώσκοντο γράμματα· καὶ δῆλον ἐκ τοῦ μὴ σωθῆναι ποίημά τι τῶν κατὰ τοὺς Ὁμηρικοὺς χρόνους, εἰ καὶ ἱστοροῦσί τινες ποιητὰς προγεγενῆσθαι Ὁμήρου, Μουσαῖόν τε καὶ Ὀρφέα καὶ Λίνον, ἀλλ' ὅμως οὐδὲν εἰς τὰ μέτρα διασωθῆναι συμβέβηκε πρὸ τοῦ Ὁμήρου ποιήσεως· ἀλλ' οὐδὲ πρεσβύτερον ἄλλο τῆς Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας σώζεσθαι ποίημα. ἀλλ' ἐρεῖ τις· πῶς; ἐπεὶ γράμματα σώζονται νομιζόμενα πρεσβύτερα Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας. Καί φαμεν ὅτι τὰ μὲν τούτων ἐψευσμένους ἔχουσι τοὺς χρόνους, τὰ δὲ νεωτέρων τινῶν ἐχόντων ὁμωνυμίας τῶν παλαιῶν τὰς ἐπιγραφὰς ἔχουσι· καὶ οἱ ἥρωες δὲ ἀγράμματοί τινες ἦσαν, καὶ σημείοις καὶ συμβόλοις πρὸς ἀλλήλους ἐν τῇ κατὰ τὸν βίον ἀναστροφῇ χρώμενοι ἐδήλουν ἀλλήλοις ἃ ἤθελον· ἐν πίναξι δὲ καὶ ἐν σανίσιν ἔγραφον διὰ ζωγραφείν τινα καὶ διατύπωσιν τῶν πραγμάτων ὧν ἐβούλοντο. ἀλλ' ἐρεῖ τις ὅτι ἄτοπόν ἐστι λέγειν ἀπαιδεύτους καὶ ἀγραμμάτους τοὺς ἀρίστους τοῦ ἀνθρωπείου γένους. Καί φαμεν ὡς οὐκ ἔστιν ἀπαιδευσίας τεκμήριον τὸ εἶναί τινα ἀγράμματον· καὶ γὰρ ὁ φιλόσοφος Πλάτων ἐν Φαίδρῳ διαβάλλει τὴν εὕρεσιν τῶν γραμμάτων ὡς ἐπὶ λύμῃ παιδείας γεγονυῖαν· ζώσῃ γὰρ φωνῇ τὴν φιλοσοφίαν πάλαι ἐπαιδεύοντο. Aptissime grammaticus usus est loco Platonis (Phaedr. p. 267. c. T. 10. p. 384. Bib. p. 344. Heind.); aptius tamen Wolfius Prolegg. p. CI sq. cf. Creuzer. Stud. T. 2. p. 288. — Qui de φοινικείοις γράμμασι, eorumque inventoribus accuratius quid cognoscere cupit, adeat alios grammaticos apud Beckerum (T. 2. p. 781, 27. 782, 14. 30.). — At quam sero expeditior scribendi usus apud Graecos invaluerit, vel id probare potest, quod Richardus olim Bentlejus affirmavit (Apol. dissert. de Epist. Phalaridis p. 109 sq.), primas Graecorum fabulas plaustrarias, Susarionis et Thespidis, litteris consignatas numquam fuisse. Ridemus hodie cum Wolfio (p. LXVI.) Mutianum ter consulem, qui Sarpedonis epistolam quandam a Troja scriptam in Lycia ipse legerat (Plin. H. N. 13, 13.). Ridemus etiam caecos Pelasgorum greges, quos Homerus ob litteras utilissimas, ex diluvio egregie servatas, δίους appellasse constat (fortasse *divinus* subulcus Eumaeus ob simile meritum ita vocatus est!) (Eustath. ad Il. 2. p. 358.). Ridemus etiam Britannos, Squirium (Essai p. 204.), Monboddonem (Orig. ling. T. 1. p. 414.), Marshium (Horae Pelasgicae p. 23.), has gerras bona fide recoquentes.

Aristoteles omnia carmina Orphica sui temporis pro spuriis declaravit. Quae Philoponus de Onomacrito, omnis Orphicae poesis auctore, adjecit, ea non ex Aristotelis mente prolata sunt, sed de recentiorum quorundam Graecorum sententia repetita. Ille, teste Cicerone, omnino negavit, fuisse unquam Orpheum [10]): quod judicium omnino dignum est ingenio, quo vir summus seculum suum praecurrit. Etenim si Orphei personam de medio tollere nihil dubitavit; idem jam tum ab eo tentatum videmus in hoc poeta, quod hodie post Fr. Aug. Wolfium de Homeri nomine nemo non persuasum habet. Utrumque nomen non ad unum hominem debet referri, sed duas integras diversorum poesis generum aetates complectitur [11]). — At ne quis mihi objiciat, Aristotelem fortasse

---

[10]) De N. D. 1. 38. ex libro haud dubie, quem *de poetis* scripsit, vid. supra. Interpretationem, quam proposuit Hanouius (disq. metaph. p. 337.): "vixisse quidem Orpheum, sed non *poetam* fuisse" ne patitur quidem lingua Latina. Tum enim Ciceroni dicendum fuisset: "Orpheum docet Aristoteles numquam fuisse poetam". — Dionysius (ap. Suid. v. Ὀρφεύς) contendit, Orpheum Odrysium, *epicum poetam*, numquam fuisse; recte: et ita Hanouius quoque (p. 350.) Aristotelem intellexit (cf. Bibl. Crit. Amstel. T. 2, 2. p. 82.). Perperam cepit hunc locum Huetius (dem. ev. 4. 8. 19. v. Tiedemann. pr. Gr. phil. p. 6.). — Quem Aristotelis locum (de anima 1. 5. p. 485. b. Casaub.) Davisius et Hanouius (p. 335.) Ciceronem respexisse dicunt, is perperam allatus est: "τοῦτο δὲ πέπονθεν καὶ ὁ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς καλουμένοις ἔπεσι λόγος· φησὶ γὰρ τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ ὅλου εἰσιέναι ἀναπνεόντων φερομένην ὑπὸ τῶν ἀνέμων".

[11]) Similiter Boettigerus (in Wielandi Mus. Att. T. 1, 2. p. 290. 332.), et Huellmannus (Gr. hist. init. p. 47.). Nulla opus est etymologia, qua Orpheum *nomen collectivum* esse demonstretur; vana sunt ejusmodi conamina; v. supra p. 10. Quam Hermannus nuper rationem iniit, ut totius antiquitatis fidem historicam labefactaret, omnesque fabulosae aetatis homines etymologiis, ex ipsa Graeca lingua petitis, de medio tolleret (*de mythologia Graecorum antiquissima; de Graecae historiae primordiis; Epistolae ad Hermann.* p. 13.), totamque Iliadem et Odysseam meram allegoriam invito Homero, esse demonstraret (Ep. p. 19 sq. 68. Cr. p. 122.), eam ludibundus suscepit. — Nomen Orphei unde derivandum sit, jam invenerunt Graeculi; significat *Suaviloquus* (ὡραία φωνή. Fulgent. 9. 10. p. 730. Stav. Creuzer. Symb. T. 3. p. 212. (225.)). De qua puerili derivatione quid Hermannus statuat, ignoro. *Orbum* vel *Noctiferum*, *Tenebri-*

una cum Orphei nomine narrationes etiam de poesi, quae ante Homerum floruerit, fictas censuisse; hic statim verbo dicamus, quod infra demonstraturi sumus, eundem Aristotelem antiquissimorum interdum poetarum, quos subinde theologos vocat, sententias ab Homericis et Hesiodeis notionibus diserte distinguere [12]). Tantum igitur abest, ut magni illius philo-

---

ferum, *Tenebrionem* (σκοτεινόν, σκοτοφόρον), extorquere poteris e vocibus ὀρφός, ὀρφναῖος, ὄρφνος, ὄρφνη. Illud scilicet convenit ei, qui uxore orbatus est; hoc mysteriorum, tenebris involutorum, auctori!! Expectatur adhuc, qui viros ἐπωνυμιωτάτους simili modo e rerum natura expellat; Mulcivirum dico (Τέρπανδρον), Militosradum (Πεισίστρατον), Populeminum (Ἀριστόδημον), Prudentoclytum (Σοφοκλέα), Populovalium (Δημοσθένη), Summum (Ἀριστοτέλη), innumerosque alios. — Kamii *Asinoloquum* Palaestinum, purum putum, sed improbum jocum (עירנה Orpheh. Urkunden p. 91. 151. 108. 274. 389. 405. 674. 681. Pantheum p. 120. 240.), non tam serio hic moramur, ut Creuzerus fecit (Symbol. T. 3. p. 212. (225.); neque curamus omnem istam asinorum aliarumque bestiarum catervam, quam idem Kamius ex tota antiquitate in unum aridum campum compulit; e. c. Olenem, ursum (Urkund. p. 673.); Philammonem, elephantem (Pantheum p. 145. 267.); Thamyrin, asinum (Urkund. p. 666. Pantheum p. 126. 268.); Hesiodum, asinum (Urkund. p. 289.); Phemium, asinum loquentem (Panth. p. 138.); Demodocum, asinum mendicantem (Urkund. p. 683.); Homerum, asinum caecum (Urkund. p. 684. Panth. p. 124. 138. 412.). At sat multi ὄνοι πρὸς λύραν, ex noto Graecorum proverbio (Diogenian. cent. 7, 33. Suid. v. Erasmus in: *Asinus ad lyram*; Schweigh. ad Athen. T. 4. p. 593.). Exosos habebant asinos omnes omnium aetatum et Graeci (Aelian. de nat. anim. 10, 28. Hug. de mytho p. 233.), et Aegyptii (Paus. 10, 29. Plin. H. N. 35, 2. Horapollo 1, 23. p. 40. Pauw. J. Lydus de menss. p. 107.). ὄνος ἄγει μυστήρια (Phot. Lex. p. 245. Schol. ad Aristoph. Ran. 159. Suid. T. 2. p. 698.). Pulchre tamen sibi placet Creuzerus (Commentt. Herodd. p. 252 - 270. 278. 282 - 285.) in asellorum patrocinio suscipiendo. — Caeterum Sickleri quoque *medicus* Hebraeus ab Orpheo averruncandus est (Hymn. in Cer. p. 63.).

12) Vid. interim Bouterweckium, de pr. philos. Gr. decr. phys. in Commentt. recentt. Societ. Gotting. T. 2. p. 5. 6. et Creuzer. Symbol. T. 3. p. 142. (155.). Quid? quod Aristoteles clarissimis verbis declarat, fuisse ante Homerum poetas, de art. poet. c. 4.: τῶν μὲν οὖν πρὸ Ὁμήρου οὐδενὸς ἔχομεν εἰπεῖν τοιοῦτον ποίημα. εἰκὸς δὲ εἶναι πολλούς. Fortasse etiam (nam omnia hic nostrae relicta sunt conjecturae) eodem sensu Orpheum e poetarum numero ejecit Aristoteles, quo negat, Chaeremonem esse poetam appellandum, quia ejus Hippocentaurus non sit, nisi mixta ex omnibus metris rhapsodia; et quia negat, poetas esse dicendos, qui elegorum et epicorum fictores secundum

sophi auctoritas nostrae sententiae obstet, ut eam egregie confirmet. Nihil hic moramur recentiores de Orphicae poesis aetate sententias, quae e veterum locis male intellectis profluxerunt [13]).

Quae quum ita sint, nemo veterum, cujus auctoritas aliquid apud nos valet, negavit, Orphicam poesin ante aetatem Homericam in Graecia floruisse.

XV.

Quo anno Orphicae poesis auctor natus sit, scire hodie omnino non licet; nec multum interest: quare sollicitas ejus rei disquisitiones et suspiciones tam vanas judicamus quam inutiles; tantumque abest, ut Fridericum Creuzerum veros Orpheo natales assignasse existimemus, ut ne seculum

---

metrum, non secundum imitationem vocentur. Quapropter etiam praeter metrum Homero et Empedocli nihil esse commune sciscit (de art. p. c. 1.). Sed tum Ciceronem hanc Aristotelis mentem male cepisse statuendum foret. Ipse quidem Cicero non putavit, Orpheum poetam non fuisse (v. de N. D. 1, 15. 3, 18.).

[13]) Sic mysteriorum apud Graecos originem qui in posterioribus Homero temporibus quaerunt, Orpheum e summa antiquitate sua ad Homericam usque aetatem detrudere ausi sunt (ut Ottofr. Mueller. Orchom. p. 454.). Cui conjecturae, ut haberet, quo niteretur, fulcrum aliquod e loco Aeliani (14, 21. cf. Eustath. ad Il. T. 2. p. 9. Polit. p. 4. Rom.) petitum est, ubi haec verba leguntur: ὅτι Συαγρός τις ἐγένετο ποιητὴς μετ' Ὀρφέα καὶ Μουσαῖον, ὃς λέγεται τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον πρῶτος ᾆσαι. Omnes, praeeunte Fabricio (Bibl. Gr. T. 1. p. 291.), exponunt: "iisdem, quibus Orpheus et Musaeus, temporibus" (Passow. etiam Musae. p. 25. 90.). At grammatica Graeca misere vapulat. Tunc enim scribendum fuisset Aeliano μετ' Ὀρφέως καὶ Μουσαίου, sive κατ' Ὀρφέα (ut grammat. ap. Becker. p. 783, 11.: ἔνιοι δὲ Μουσαῖον εὑρετὴν λέγουσι, τὸν Μητίωνος καὶ Στεφάνης, κατ' Ὀρφέα γενόμενον). — Ut sexcenties poetae Homero posteriores οἱ μεθ' Ὅμηρον, sive οἱ νεώτεροι appellantur (in schol. ad Hom. v. Wolf. Prolegg. CLXXXII, CCLXVI. cf. Athen. 12. p. 512. e. Schol. ad Apoll. Rh. 1, 558. Weichert. p. 141.); ita qui seculis, inter Orphei et Homeri aetatem interjectis, vixerunt, audiunt οἱ μετ' Ὀρφέα; vel, incluso Orpheo, οἱ πρὸ Ὁμήρου (Aristot. de poet. 4. Suid. Εὔμολπος). — Neque Tzetzae intestabilis auctoritas isti sententiae favet (apud Hermann. Praefat. ad Orph. p. XXIII.), qui Trojani belli temporibus superstitem fuisse Orpheum e loco aliquo Lithicorum collegit.

seculum quidem, quo vixerit, certo ab eo definitum esse persuasum habeamus [14]). Sanctum illud Orphei nomen, seu id uni debetur, seu plures comprehendit, communis antiquitatis consensus ad seculum, quod Trojani belli initio praecessit, retulit [15]). Cui sententiae quum nihil umquam oppositum sit, quod de ejus veritate quidquam detrahere queat, nihil in promptu video causae, cur ab ea discedamus. Sed et ipsius belli Trojani accuratior certiorque definitio quum veteres tum recentiores sollicitos tenuit, et ad desperationem propemodum adduxit. Duplicem in primis ra-

---

[14]) Symbol. T. 2. p. 136. (129.) Orpheum natum esse prodit 1354. a. Ch. n. — T. 3. p. 155. (168.) scholam Orphicam jam ante annum 1549. floruisse dicit. — T. 3. p. 141. (153.) Bacchi cultum a Melampode in Graeciam illatum affirmat 1350. — Dionys. II. p. 232. Melampodem duodecim annis ante Orpheum natum esse memorat; Melampodis vero natales incidisse in 1368.; ergo Orpheus natus est 1380. — *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?* — Marmor Parium ex certa Chandleri conjectura (p. 22.) Orphicorum carminum florem ponit 1399: ἀφ' οὗ [Ὀρφεὺς τὴν] αὑτοῦ ποίησιν ἐξ[έ]θηκε, Κόρης τε ἁρπαγὴν, καὶ Δημήτρος ζήτησιν, καὶ τ[ὸ]ν αὐτοῦ κατάβασιν καὶ μύ[θο]υ[ς] τῶν ὑποδεξαμένων τὸν καρπὸν ἔτη ΧΗΔΔΔΠ, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἐρεχθέως. ep. 14, 26. Lami in Op. Meursii T. 2. p. 547. cf. Passow. Musae. p. 25. Sickler. hym. in Cer. p. 64. — Fontes, unde illius chronologiae auctor hauserit, ejusque aetas si certius constaret, certiora quoque de Orpheo pronuntiare liceret. Ex Apollodoro hausisse, et 264 an. Ch. vixisse, conjecit olim Gillies. (hist. Gr. T. 1. p. 4. ed. Bas. cf. Larcher. Herodot. T. 7. p. 370.); miro profecto errore. — Nulla hac in re fides esse Clementi Alex. potest, qui (Str. 1. p. 321. 323. Sylb.) Orpheum Acrisii et Cecropis temporibus vixisse prodit (v. Barrium, Mém. de l'Acad. T. 16. p. 17. Freretum, T. 23. p. 251.); nec Tzetzae (Chil. 12. h. 399. cf. Euseb. p. ev. 10, 4. p. 469.), qui eundem Herculi aequalem facit, et 100 annos ante bellum Trojanum ponit: nec genealogia (v. supra p. 25.) quidquam probat, quoniam admodum dubia est; nec Colchica expeditio aliquid facit, quoniam Orpheus non fuit Argonauta (v. p. 12.). — Hic omnia nobis incerta sunt; certissima Creuzero. Summam Meinersius prodit modestiam, qua nihil eorum, quae ultra Homerica tempora sita sint, se scire ingenue confitetur (Commentt. Soc. Gotting. T. 16. p. 217.): "Ego quidem, inquit, numquam tantum mihi sumam, ut, non dico annum, sed seculum, quo res Graecorum antiquissimae acciderunt, definire ausim". Idem verbis Gallicis declarat Depuis (origo omn. cult. T. 2. P. 2. p. 280.).

[15]) Vid. quae Lambecius p. 168. Tiedemann. p. 11. et Prideaux ad Mar. Ar. p. 107. 198. laudant.

tionem inierunt Graeci, ut aliquam saltem temporum, initio olympiadum superiorum, sibi compararent notitiam; secundum genealogias et aetates, et secundum catalogos, quibus regum nomina perscripta erant: illam Herodotus plerumque sequutus est et Thucydides; hanc Apollodorus et Eratosthenes [16]); utrique satis constanter in hac re versati sunt: at constantius tamen Eratosthenes. Utrorumque rationes centum fere annos differunt. Herodotus Trojanum bellum ad 1280-1270. referre videtur [17]); Eratosthenes ad 1184. [18]). Ab hoc temporis momento certius constituto et superiorum et sequentium temporum accuratior definitio tota pendebat. Sic constans fere antiquitatis erat sententia, Heraclidarum reditum octoginta annos Trojanam expeditionem subsequutum esse [19]); sed ex Hero-

16) Plutarch. Lycurg. c. 1. Diodor. 1, 5. Mueller. Dor. T. 1. p. 132. Larcher. Herodot. T. 7. p. 6. 352. Eratosthenis vestigia legerunt plerique, ut Diodorus, Dionysius Halicarnassensis, Eusebius; recentiorum agmen ab hac parte ducit Petavius. — Eratosthenes ultra Trojana tempora progressus non est. Scym. Ch. Perieg. 22. Clem. Alex. 1. p. 402.

17) Thucydidem Trojae excidium ad 1270. vel 1283. retulisse vulgata opinio est Frereti (Defens. chronol. p. 69. 70. Mém. de l'Acad. T. 5. p. 287.), et Larcherii (Herod. T. 7. p. 362. 364.). Uterque laudat Thucyd. 5, 112., mira profecto veterum locos in quamcunque partem detorquendi libidine, haud infrequente apud istos. — Ab Herodoti et Eratosthenis rationibus discedit Marm. Par. ep. 25., quod reditum Graecorum a Troja 1209. ponit; non multum abest Dicaearchus, qui eundem refert ad 1212. (Marsham. Chron. canon. p. 238.); uterque Atheniensium chronologiam fortasse sequutus est. Timaeum probabile est Trojae excidium retulisse ad 1193; Aretem ad 1190 (Voss. hist. Gr. p. 330.); Georgiam ad 1170. (Syncell. p. 172.); Sosibium ad 1171. (Larcher. p. 376.); Solinum ad 1185. (v. Polyhist. c. 1.). Ab his plane diversae erant rationes Duridis (1335.) et Trasylli (1302.); v. Voss. hist. Gr. p. 97. Freret. Defens. chronol. p. 73.

18) Ita Dionys. Hal. 1, 74. p. 59. Sed Clemens Alex. 1. p. 402. affert annum 1183. cf. Larcher. p. 375. Reiz. Praef. ad Herod. p. XXVI. Lips., qui secundum Clem. Alex. Str. 1. p. 335. annum 1180 omnino affert; et Weichert. de Apoll. Rh. p. 130. Schubarth. de Homero, p. 227.

19) Thucyd. 1, 12. ibiq. schol. Eratosth. ap. Clem. Alex. Str. 1. p. 402. Apollod. ap. Diod. 1, 5. Euseb. et Syncell. p. 194. Vellej. Pat. 1, 11.

doti rationibus is referendus esset ad 1190: Eratosthenes eundem retulit ad 1104. [20]). Colchica expeditio Trojani belli initio praecessit quinquaginta annos; non amplius [21]).

Quantum temporis spatium inter Ilii excidium et Homeri aetatem intercesserit, in vulgari omnium seculorum dubitatione, Herodoti, antiquissimi auctoris, testimonio, quodammodo potest constitui. Is enim Hesiodum atque Homerum quadringentos annos se antiquiores esse dicit. — Secundum Pamphilam quinquaginta tres annos natus erat Herodotus, quum bellum Peloponesiacum exardescere coepisset [22]). Hoc vero bellum ex veterum historicorum relatione, quam Petavius optime cepit, exortum est olympiadis 86 anno 2 (id est 431. a. Ch.): itaque Herodotum natum esse oportet olympiadis 74 anno 4; 484. ante Chr. [23]). Si hinc in superiora tempora recedamus, Hesiodi et Homeri aetas ab historiae

---

[20]) Diversas aliorum sententias enumerarunt saltem, sed non sine erroribus, Freret. Defens. chron. p. 69-74. Larcher. p. 380-391.

[21]) Herodot. 1, 3.: δευτέρῃ γενεῇ μετὰ ταῦτα; quae verba Larcherius de duabus integris aetatibus accipit; meliorem interpretationem vide ap. Mueller. (Orchom. p. 308.). qui limpidiorem etiam fontem indicavit apud Homerum Il. 23, 747. — Octoginta vel centum annorum intervallum vulgo statuitur (v. ap. Weichert. p. 130.); sed perperam. — Libenter hic mittimus fallaces Francogallorum conclusiunculas, ut Levesquii (Etudes de l'histoire T. 2. p. 113 sq.), Choiseul Goaffierii (Recherch. sur l'orig. du Bosphore de Thrace, in Mémoir. de l'inst. Roy. T. 2. p. 484. a. 1815.), Larcherii Herod. T. 7. p. 35. 350. 577. cf. Raoul-Rochette (hist. des colon. Gr. T. 2. p. 197.), Bouhier. Recherch. sur Herod. p. 126. — Poetico Apollonii Rhodii errore deceptus Quirinius Cardinalis (Primordia Corcyrae p. 49. 50.) et Trojanam et Colchicam expeditionem ad unum idemque tempus compressit.

[22]) Plinius H. N. 15, 23. Gellius N. A. 15, 23.

[23]) Schweighaeus. Herodot. T. 1. p. xviii. Thiersch. de Hesiodo, p. 5. — Freretus (Chronol. Defens. p. 14. Mém. de l'Acad. T. 5. p. 286. T. 19. p. 593. 594. cf. Larcher. Herod. T. 7. p. 360 sq.) duos annos Herodoto errabundus subtraxit; Groddeckius (hist. Gr. litter. elem. 46. p. 82 sq.; quem temere sequitur Schubarth. p. 207.) totidem et amplius benignus addidit.

patre ponitur 884. Ergo quatuor fere seculorum spatium a Troja eversa ad Homeri aetatem ex Herodoti rationibus effluxit [24]). Quod autem Herodotus caute addit *καὶ οὐ πλέοσι*, inde jure mihi videor colligere, multos olim fuisse, qui Homeri aetatem Trojanis temporibus multo propius admoverent; quorum sententiae haud obscurum est historiae patrem obloqui. Quam vellemus, ut apposuisset argumenta! Seriorem quidem aetatem poetis illis assignasse nobis videtur, utpote quos Lycurgo et Iphito aequales faciat [25]); sed ita fortasse sensit, ut epicam poesin eo tempore adhuc floruisse statueret, omisso priorum aetatum flore. Fortasse ratio quoque

---

[24]) Ignota mihi est ratio Mansonis (Supplemm. ad Sulzer. T. 3. p. 50.), qui Hesiodi Homerique aetatem ab Herodoto ad 960 relatam esse opinatur. Perperam haud dubie. Quatuor annos a vero aberat Freret. Mém. T. 19. p. 593. 594. Miram hujus viri inconstantiam deprehendes, collatis iis, quae in Defens. chronolog. p. 14. dixit. Multo longius, quam Freretus, a vero recessit Gillies. (hist. Gr. T. 1. p. 250. ed. Bas.). — Caeterum Fr. Thierschius mirum in modum sibi ipse contradixit. Homeri enim aetatem ex Herodoti rationibus refert ad 884. (p. 5.); eadem vero aetate superior est Hesiodus (p. 21.); nihilosecius tamen Hesiodus aliquot seculis Homerum subsequitur (p. 20.)!!

[25]) Ne Lycurgi quidem aetas certa est. Eratosthenes, quem hodie plerumque sequimur, 108 annos ante primam olympiadem istam ponit, i. e. 884. (Clem. Alex. Str. 1. p. 336. Diodor. de virtut. et vit. p. 547. Vales.); paulo serius Thucyd. 1, 18.; multo serius Dieuchidas (ap. Plutarch. Lycurg. c. 2. Solin. 16. Strabo 10. p. 481.); Xenophon tandem (respubl. Lacedaem. 10. v. Plutarch. Lyc. c. 1.) ad reditum Heraclidarum retulit. Inter primam Olympiadem et Heraclidarum reditum intercesserant ex Eratosthenis et Apollodori rationibus 327. vel 328 anni (apud Clem. Alex. Str. 1. p. 336. Diodor. 1, 5. Euseb. p. 20. Scal. Censorin. de D. N. 21. Tatian. adv. Gr. p. 174.). De omnibus his vid. Petav. Uranolog., Dodwell. de cyclis. 3. p. 153., Riccioli. chron. reform. p. 170., Marsham. chronol. can. p. 488 sq., Freret. defens. chronol. p. 163 - 195., Ottofr. Mueller. Dor. T. 1. p. 132. — De Homero et Lycurgo aequalibus plura prodiderat Ephorus, qui utriusque colloquii in insula Chio mentionem fecit (ap. Strabo. 10. p. 738. Meier-Marx Fr. p. 168. Plutarch. Lyc. c. 3. cf. Clavier. pr. Gr. temp. T. 2. p. 110. 130.); qua in re Apollodorus eum sequutus est (ap. Tantian. adv. Gr. p. 174. Clem. Alex. Str. 1. p. 327. 309. Paus. 3, 2, 4. Heyne Apollod. Fr. T. 1. p. 411. Marsham. p. 437. Dodwell. 3. p. 153. Mueller. Dor. T. 1. p. 132.).

eum fefellit. Ex vulgari Herodoti interpretatione si res accidisset, Lycurgus vivo Homero poesin epicam ex Jonia in Peloponesum intulisset. Quod quum nonnisi per rhapsodos fieri potuerit (nam de carminum ἀπογραφαῖς, quas legislator sibi conficiendas curasse olim creditus est, hodie cogitabunt vel duo vel nemo), ille, cujus maxima fuit auctoritas, haud dubie ipsum pauperem Homerum, melioribus propositis conditionibus, commovere studuisset, ut secum proficisceretur in Peloponesum, et divina sua carmina divino ore Doriensibus occineret.

XVI.

Verumtamen inconcinnum esse videtur, eandem aetatem et Homero et Lycurgo assignare; etsi nuper inventus est [26]), qui Herodoti rationem verissimam pronuntiaverit, et ita accipiendam docuerit, ut auctor non de Homeri *persona* loquutus sit, sed de totius epicae poesis aetate et flore. Vel sic tamen non omni erroris culpa vacat. Certis enim rationibus et argumentis evinci potest, idem poesis genus uno saltem seculo antiquius esse, et in Asia minori floruisse; quamvis aliis, quam Homero, auctoribus. Proinde minus culpandus foret Herodotus, si unius Homeri aetatem ad illud tempus retulisset, quam si omnem poesin epicam in tam exigui spatii angustias compressisset. Non licet igitur cum doctissimo illo viro notiones, quas hodie demum post Fr. Aug. Wolfii acumen de auctoribus Homericorum carminum, diversis temporibus cantatorum, concepimus, jam Herodoto subjicere. Is, quum illa scriberet, solam divini Homeri *personam* in animo habuit; de epicae poesis aetatibus nullo modo cogitavit [27]).

---

26) Fr. Thierschius in dissert. de Hesiodo p. 5. (Commentt. Acad. Monacens. 1813.).

27) Caeterum alii alio modo Herodoto succurrere voluerunt, annorum numerum 400 in codd. mss. corruptum esse existimantes, mutandumque ad libitum. Qui quan-

Sed non solus Herodotus, ut jam diximus, in illa aetate constituenda versatus est: quum ante tum post eum multi in eodem argumento elaborarunt [28]). Serius vero, quum nihil hic profici posse intellexissent, omnes de hac re institutas quaestiones in ridiculum detorquere coeperunt [29]).

---

topere se rudes in antiquitate profiteantur, incurrit in oculos. Etenim, ne quid de plurimorum meliorumque codicum consensu dicam, jam ipsi veteres eundem numerum, ac nos, apud Herodotum suum legerunt; vid. Athenagor. Apolog. c. 14. et Cyrill. in Julian. 3. p. 3. 7. — Memoratu digna est diversitas, quam Creuzerus e codice Palatino (de quo vid. eundem Creuzer. Meletem. 1. p. 98.) nuper enotavit (Commentt. Herodoti. p. 428. 446.): ὅτι ἡσίοδος καὶ ὅμηρος πρὸ υ̅ ἐτῶν γεγόνασι τοῦ ἱστορικοῦ τούτου. Alio loco: ὅτι πρὸ φ̅ ἐτῶν τοῦ ἡροδότου ἦν ὅμηρος ὁ ποιητής· ἄλλοι δὲ πρὸ υ̅ φασί· πρὸ δὲ τοῦ ὁμήρου ϙ̅ ἔτη ὁ τρωϊκὸς πόλεμος. — Idem codex fol. rect. 34. in fine; ὅτι μετὰ τὰ τρωϊκὰ παρῆλθον μέχρι τῆς ἀλεξάνδρου βασιλείας ἔτη ω̅ ἔγγιστα· μέχρι δὲ τοῦ ἡροδότου ἔτη φ̅. — ὁ δὲ ὅμηρος μὲν τῶν τρωϊκῶν ἔτη ϙ̅ πρότερος δὲ ἡροδό[του], ἔτη υ̅.

28) Vid. Paus. 9. 30. Fuere, qui Homerum ad Jonicam migrationem referrent (140-180. p. Troj. capt.), ut Philochorus (ap. Tatian. adv. Gr. 38. p. 166. ed. Col. Euseb. pr. ev. 10, 11. p. 490. a. Vig. Syncell. chr. p. 189. d.; erravit Euseb. chron. can. p. 132. Scal. Clem. Alex. Str. 1. p. 326. Sylb.; cf. Boyer. de Hyperboreis in Commentt. Petropol. T. xi. p. 338., Meier-Marx. Eph. Fr. p. 79 sq., Siebelis. p. 35 sq. Voss. de poet. Gr. 2. T. 3. 2. p. 199 sq.), et Aristarchus (Procli vit. Hom. in bibl. vet. art. et litt. ed. Heeren. p. 10. inedit.: Τοὺς δὲ χρόνους αὐτὸν οἱ μὲν περὶ τὸν Ἀρίσταρχον φασὶ γενέσθαι κατὰ τὴν τῆς Ἰωνίας ἀποικίαν, ἥτις ὑστερεῖ τῆς τῶν Ἡρακλειδῶν καθόδου ἐτῶν ἑξήκοντα). Crates vero ad Trojana usque tempora retrusit (Procli. vit. Hom. 1. l. Tatian. adv. Gr. 38. grammat. ap. Wassenb. p. 2.). Herodoti rationibus paulo propius is accedit, quem scholiasta Juvenalis sequitur (7, 29.), ad 260. p. T. c. eum referens; vid. etiam Vellej. Pat. 1. 5. Mar. Par. 45. — Cratetem sequitur Gillies (hist. Gr. T. 1. p. 125. 250. ed. Bas.), quamvis inscius; alios vid. ap. Heynium ad Hom. T. 8. p. 825. — Recentiores, ut curiosius Homeri Hesiodique aetatem definirent, astronomiae quoque historiam in auxilium vocarunt, ut Robinsonus (diss. de Hesiodo p. LIX ed. Loesn.), et Pfaffius (de ortu et occasu siderum p. 30 sq.). Sed frustra.

29) Senec. epistol. 88. T. 1. p. 301. ed. Patav. Ac omne profecto hoc chronologiae genus conjecturale est; multaque in eo Graecorum arbitrio erant relicta. Ne sequentia quidem tempora usque ad Pisistratidarum tyrannidem, quibus praeclarissima quaeque Graeci ingenii monumenta prodierunt, chronologorum conjecturis est ab omni parte erepta. Clarior lux Graecae historiae affulsit inde ab Ol. 56., quum expe-

Utut autem se habeat res, nos ex doctissimorum virorum sententia Homericorum carminum aetatem ad medium seculum decimum referendam esse censemus [30]). Proinde Orphicam poesin, cujus primordia in seculum decimum tertium inciderunt, sequente aevo excultam esse oportet.

Carmen epicum in Asia minori, in primis in Jonia, oriri omnino non potuisse, sed ejus originem in Graecia quaerendam esse, ipse Homerus certissimis rationibus et argumentis nobis jamdudum persuadere potuisset, nisi et tacitae et argutae cogitationes quorundam secus sentientium, qui inveteratas et paene obsoletas opiniones non facile sibi eripi patiuntur nimis adhuc extimescerentur. At nos certissimum putamus, ipsam aetatem Heroicam magnum epicorum carminum proventum tulisse; eandemque sententiam in posterum quoque et tenebimus et defendemus. Thamyrin, Phemium, Demodocum, quorum aetas ad belli Trojani tempora assurgit, epicos fuisse poetas, neque inania tantum Homerici ingenii simulacra, ecquis negaverit [31])? Hoc ne ii quidem inter veteres ausi sunt,

---

ditior scribendi usus vulgari coepisset (cf. Mueller. Dor. 1. p. 129.). Mox genealogiae condebantur, veterum poetarum carminibus adhibitis; aliquod saltem chronologiae adminiculum. v. Goeller. de situ et orig. Syracus. p. 196., Meier-Marx Eph. Fr. p. 74.

30) Wolf. Prolegg. p. XXII. Heeren. Ideen. T. 3. P. 1. p. 167. (164.). Quae argumenta nuper contra prolata sunt a Schubarthio, et qui huic pedissequus currit, censore in J. A. L. Z. 1823. p. 371-380., ea quum ex nihilo derivata sunt, in nihilum redire jubebimus.

31) Vati honorificum munus Agamemnon, ad Trojam profecturus, mandaverat, ut uxorem tueretur, Od. 3, 267. — ἀοιδοὶ θρήνων in Hectoris funere memorantur Il. 24, 720. — Lini carmen vindemiatoribus occinitur a puero Il. 18, 570. Alius ἀοιδὸς apud Menelaum est; et Thamyris apud Eurytum in Oechalia, Il. 2, 595. De Melampode incertum est, num poeta fuerit, nec ne; apud Homerum certe (Od. 15, 223.) nihil legitur. Multa hac in re omisit, multa perperam tradidit Gillies. Gr. hist. T. 1. p. 250. Bas.

qui Homerum, caecum illum senem et perpetuum peregrinatorem, unum uberrimum et perennem omnis poesis fontem habere consueverant,

> ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα,
> καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

Attamen hi aliud, multo gravius, peccarunt. Ex caeco enim Homeri nomine caecum senem derivabant, quem ex Jonia in Graeciam aliasque regiones mitterent, ut omnium rerum terrarumque, quas tam accurata et tam miranda diligentia describit, et quae nonnisi clarissimo oculorum lumine observari poterant, cognitionem sibi caecus compararet [32]). Atqui eratne adhuc, quo tempore vixisse fertur Homerus, illa, quam describit, rerum facies et conditio? Minime vero. Ea jamdudum mutata erat; devastata a Doriensibus Peloponesus: periit aristocratica potestas; perierunt regiae Atridarum, Nestoris, aliorumque: actum erat de splendore Achaeorum, qui e sedibus suis expulsi partim in exteras terras emigraverant, partim

---

[32]) Schol. Venet. ad Il. 2. 494. Strabo 1. p. 62. a. c. etc. Epicos poetas omnia clarissima oculorum acie perlustrasse et versibus decantasse, sciunt, qui Homerum suum triverint. Itaque Lessingius consilium olim ceperat (Op. Om. T. 10. p. 14.), clarissima face, qua Homerus res conspicuas collustrat, caecitatem ab eodem poeta averruncandi. — Sed post Lessingium Homerus nactus est, qui caecitatis patrocinium susciperet, Zoëgam (Dissertt. p. 314 sq.). Causas satis probabiles, cur plerique antiquitatis vates, Demodocus, Thamyris, Tiresias, Phineus, a veteribus caeci dicti fuerint, affert Fr. Schlegel. (Gr. poes. hist. p. 49.), et Kanne (Mythol. Gr. p. LVIII sq.). — Quae Ulysses de Demodoco celebrat, possunt etiam in Homerum transferri (Od. 8. 487-491.). — Interdum apud Homerum loca occurrunt, quae ab eodem poeta profecta esse vix credibile est (Heyne de myth. poet. nat. in Commentt. Gotting. T. 14. p. 152. Kanne Mythol. Gr. p. 169 etc.); tum duplex statuendus est Homerus, quorum alter, verus ὅμηρος, alterum non vidit, e. c. Il. 1, 590. et Il. 18, 394. — Caeterum mirandam illam diligentiam, qua Homerus regiones populosque describit, omnes omnium aetatum historici observarunt, inde a Straboue ad Guillelmum Gellium: *the geography and antiquities of Ithaca.* London. 1809. 4. — cf. Thiersch. de Hesiodo p. 41-43. Hinc factum est, ut quivis populus, quem tam accurate descripsit, eum sibi civem vindicare studeret.

partim a Doriensibus victi ad Helotarum servilem conditionem delapsi erant [33]). Atque omnium harum insignium mutationum ne minimum quidem vestigium apud Homerum comparet: ubique contra splendidae heroicae aetatis suavissima descriptio. Mira profecto omnium rerum repugnantia; clarissima Homeri caecitas, et innumera facta itinera, ut videret, quae jamdudum periissent; istam tamen nonnisi veterum, adde etiam recentiorum, caeca *ἀκρισία* non animadvertit.

Una tantum in his obscuris antiquitatis regionibus via lucet, qua nos expedire licet. ***Quae carmina jam diu ante Homericam aetatem, priusquam Dorienses in Peloponesum irrupissent, heroica aetate adhuc florente, in ipsa Graecia decantata erant, ea cum Achaeorum colonis ad Asiae litora transmigrarunt.*** Coloniis illis efflorescentibus effloruit iterum poesis epica, quae deinde sub Homeri nomine summum perfectionis fastigium nacta est [34]). Hanc conjecturam sollers quaedam observatio omnium Graeci ingenii graduum et successuum, non rapidorum illorum, sed certis legibus inter se nexorum, ut alius alium praemuniat, et ex superiore et proximo intelligi queat, qui deinceps sequuturus sit, confirmat: confirmat etiam obscura quaedam fama, quae Homerum Jonicae migrationi interfuisse prodit [35]). Sed videndum est, ne eadem conjectura abutamur, id quod Friderico Thierschio nuper accidit, qui epicae poesis

---

[33]) Theopompus ap. Athen. 6. p. 265. b. c. p. 272. a. Philippus Theangelensis ap. Athen. 6. p. 271. b. cf. Schol. ad Theocr. 16, 35. Steph. Byz. v. ἕλος Heeren. Ideen. T. 3. P. 1. p. 62. (60.).

[34]) Haec nunc quidem vix attingi a nobis possunt; vide interim Heeren. Ideen. T. 3. P. 1. p. 164. (161.). Ottofr. Mueller. Orchom. p. 388. 389. Fr. Thiersch. de Hesiodo p. 40 - 43.

[35]) Bayer. de Hyperboreis in Commentt. Petropol. T. XI. p. 338. Ille tamen epicae poesis transitus magis spectat ad Achaeos, quibus Aeolica colonia maximam partem constabat; ad Jones, praeter alios multos, Aristarchus eum retulit.

originem per aliquot seculorum spatium veloci pede persequutus est, eamque invenit ante aetatem heroicam inter cascos Pelasgorum greges, Dodonae et Delphis [36]). Quibus vero oraculis quum nihil antiquius noverint

---

36) De Hes. p. 36. 37. 40. Delphicum oraculum a Pelasgis esse conditum inepta est ejusdem Thierschii suspicio. Nec Strabo (9. p. 616. c.), nec Pausanias (10, 5, 4.) quidquam produnt Pelasgici. Illius quidem locus ne pertinet quidem ad Delphos, sed ad Dodonam, quam idem Strabo, auctore Ephoro, Πελασγῶν ἵδρυμα vocat (Meier-Marx. p. 129. 156. Strab. 7. p. 504.). Utriusque oraculi, Hellenici et Pelasgici, diversitatem jam bene demonstravit Zoëga de Obelis. p. 233-235. Dissertt. p. 286 sq. Heeren. Ideen. T. 3, 1. p. 113. (109.) T. 2. p. 462. — Delphicum oraculum conditum est a Doriensibus, qui, e regionibus, Peneo et Olympo adjacentibus, oriundi, in Cretam olim, indeque Pythonem profecti sunt; Ottofr. Mueller. Dor. 1. p. 202-212. Orchom. p. 147. 385. Aeginet. p. 154. De ejusdem oraculi incrementis, Tellure, Themide, Phoebe, et Apolline, praesidibus, v. Boettiger. Praelectt. mytholl. p. 31. Payne Knight. Inquiry into the symbol. lang. §. 70-76. 132. Interpp. ad Hygin. p. 246. ed. Stav. — Mira est veterum inconstantia de oraculi Dodonaei sede vel in Thessalia vel in Epiro quaerenda. Magnam jam diversitatem inter Homerum et Hesiodum deprehendimus; ille ejus sedem vocat δυσχείμερον, et in confiniis Penei et Titaresii, Thessaliae fluminum, ponit (Il. 2, 750. cf. 16, 233. Od. 14, 327. Mueller. Dor. 1. p. 25.); hic contra πολυλήϊον ἠδ' εὐλείμωνα dicit, et in Hellopia, quae regio ad Acheloum in Epiro sita erat, collocat (Philochor. ap. Strab. 7. p. 379. (505.) 470. Tz. Loesner. Hesiod. p. 446. Voss. p. 216. Schol. ad Soph. Trach. 1181. Pindar. Nem. 4, 86. Aesch. Prom. 829. Herod. 2, 56. Siebelis. Fr. Phil. p. 97.). Hinc Ritteri error patet (Vorhalle p. 389.). Aristoteles (Meteorol. 1, 14.), Strabo (7. p. 380.), auctor carminis Sibyllini (3. p. 227. Luc. Holsten. p. 106.), et multi alii, Homerum de Dodona Epirotica loquutum esse perperam opinati sunt. — Homeri Hesiodique dissensum non tollit utriusque poetae consensus in τηλόθι ναίων et ἐπ' ἐσχατιῇ; si hunc vocare licet consensum. — Jam Hellanicus (ap. Dionys. Hal. 1, 17.) memoriae prodiderat, Pelasgos e Thessalia pulsos (haud dubie a Boeotis Aeoliis Schol. ad Il. 16, 233. p. 383. ed. Villois. Secus sentit Ottofr. Mueller. Orchom. p. 446.) ad Dodonaeos sibi cognatos se contulisse. Hinc ficta videtur narratio Suidae, Thessalorum historici (ap. Strab. 7. p. 476. Tz.), Philoxeni, Ephori et Cineae (Strab. exc. p. 102. ed. Hudson.), Jovis oraculum e Thessalia in Epirum a Neoptolemo translatum esse (Gronov. Thes. antiq. Gr. T. 7. p. 271. 321. Zoëga de Obel. p. 231. Ottofr. Mueller. Aegin. p. 159. Ritter. Vorhalle p. 383 sq. Creuzer. Symb. T. 2. p. 473. (378.)). Hinc et veterum et recentiorum sententia de duplici Dodona orta est (Schol. ad Hom. Il. 16. 233. p. 283. Villois. Steph. Byz. p. 742. ed. Pin. p. 251. 319. Berkhel. Scym. Ch. Perieg. 448. p. 26. ed. Huds. Scylax.

Graeci, poesis epica quoque omnium antiquissima habenda foret. Ac ita profecto sensit Thierschius, qui usque ad Archilochum nihil nisi epica carmina agnoscere videtur. Verumtamen huic rationi quum ipsa rei natura, tum omnis antiquitas adversatur, quae nihil nobis de sacerdotibus Dodonaeis, jam tunc temporis poesis gnaris, memoriae prodidit. Nam quod *Διὸς ὑποφῆται* vocantur [37]), nihil probat; quandoquidem Calchas,

p. 21. Huds. Luc. Holsten. not. et castig. p. 76. Brosses. Mém. de l'Acad. T. 35. p. 93. Clavier. ad Apollod. p. 77 sq. et nuperrime Pouqueville, Voyage dans la Grèce T. 1. Praef. p. XIII sq. p. 94 sq. 137 sq.), a qua nec ego plane alienus sum: nam quid impedit, quo minus oraculi Dodonaei sedes aliquando mutata sit, iis praesertim temporibus, quorum vel nulla vel exigua ad nos pervenit notitia? Poterat sane Dodona in Epiri Thessaliaeque confiniis sita esse, et hac de causa ad utramque regionem referri: poterat etiam, quia idem oraculum universae Graeciae commune erat, modo Molossidi, modo Hellopiae, Chaoniae, Thesprotiae, Perrhaebiae, Thessaliae accenseri. Attamen non video, quomodo hac ratione gravissimus ille Homeri Hesiodique dissensus tollatur. — Unam Dodonam statuere videtur Kanne mythol. Gr. 71. Mueller. Aegin. p. 159. Dor. 1. p. 5. — Quo narratio de Dodona *Hyperborica* pertineat (Etym. M. v. Δωδωναῖος. Mueller. Dor. 1. p. 272.), parum constat. Bodonam olim vocatam esse Bodonam ab auctore oraculi (Bodo.) Stephanus Byz. refert (p. 235. 251. ed. Berkhel.). Mirum est, quomodo hoc detorserit Ritter. Vorhalle. 31. 381. 390. 393.

[37]) Il. 16, 233. Achilles Thessalus ita precatur patrium Jovem (de quo v. Valkenaer. ad Ammon. p. 246. et in Opusc. T. 2. p. 128 sq. Creuzer. Meletem. 1. p. 17.):

> Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε, Πελασγικέ, τηλόθι ναίων,
> Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου· ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
> σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι!

cf. Creuzer. Epist. ad Hermann. p. 132. Hermann. ad Creuz. p. 70. de natura mythol. p. 59. Soph. Trach. 1183. Nihil de Sellis *poetis*, nec apud Homerum, nec apud quemquam alium auctorem. Pelasgorum stirps erant Selli (Hemsterhus. ad Lenep. Etym. v. Σελλοί. Schoenemann. geograph. Hom. p. 69.; sed nihil Tyrrhenici in iis animadvertere potui cum Alexandro Pleur. ap. Schol. Il. p. 383. Villois., et A. W. Schlegelio, cens. Niebuhr. hist. Rom. in annal. Heidelb. 1816. nr. 54.). — Σελλοί, σέλλα (Jovis Dodonaei templum, Hesych. v.), σελλήεις (Thesprotiae flumen, Hesych. T. 1. p. 1168. Alb. Eustath. ad Od. 1, 259. p. 54. Bas.), σελλοπία (Epiri regio, ubi Dodona sita est: et Euboeae; Philochor. ap. Strab. 7. p. 379. et Hesiod. ibid.), ex vulgari litterae σ omissione nihil differunt ab his: ἑλλοί (Pindar. ap. Strab. l. l. Fr. Pind. p. 58. Heyn. Apol-

Chryses, Theoclymenus, quos non fuisse poetas certo scimus, eodem nomine et appellari possunt et appellantur. De Delphico oraculo incertior res est, quam ut illico negare audeamus, carminibus ibi vaticinatos esse sacerdotes. Neque ego nullam tribuo huic oraculo vim, quam in epici carminis primordia exercuerit; ut qui probe sciam, versus heroici originem veteres satis constanter inde derivasse [38]). Sed haec momenta

---

lodori Fr. p. 422. Heyn. Lennep. Etymol. p. 203. Heyne ad Hom. Il. 16, 234. et exc. II. T. 7. p. 289. Siebelis. Philochori Fr. p. 97. Verheyk. ad Anton. Lib. p. 27.), ἕλλα, ἑλλήεις, ἑλλοπία (Steph. Byz. v. Ἑλλοπία, χωρίον Εὐβοίας, καὶ αὐτὴ ἡ νῆσος. — ἐλέγετο καὶ ἡ περὶ Δωδώνην χώρα Ἑλλοπία.). Hinc Ἕλληνες; et Dodona est antiquissima Hellas (Aristot. Meteorol. 1, 14. T. 1. p. 425. Casaub. Marsh. horae Pelasg. p. 55. Meier-Marx. Ephori Fr. p. 124. Heyne ad Hom. T. 8. p. 150. Creuzer. Symbol. T. 4. p. 151. (167.)). — Simili modo et in aliis vocibus σ et additur et omittitur; v. exempla ap. Hemsterhus. ad Lennep. Etymol. σελλός. p. 738.; quibus adde μέρδις et σμέρδις (Aeschyl. Pers. 771.); μίκυθος et σμίκυθος (Herod. 7, 170. Paus. 5, 26, 3.); μικρός et σμικρός; μίλαξ et σμίλαξ. Sic voculae *sibi*, *se*, *sali*, antiquiores sunt, quam ἷ, ἕ, ἁλί. Thiersch. de Hes. p. 40.

[38]) Phemonoë prima Delphis vaticinata esse dicitur hexametro carmine, Pausan. 10, 5, 4. Strab. 9. p. 419. Clem. Alex. 1. p. 323. 334. Sylb. Procl. ap. Phot. 239. p. 521. Hoesch. Euseb. Can. Chron. p. 127. Sc. Eustath. ad Il. p. 4. Rom. Jul. Scaliger de poet. 2, 37. Lil. Gyrald. T. 2. p. 29. f. g. 41. f. 57. f. 61. g. 71. b. Gerh. Voss. de poet. art. 13, 3. Bulenger. de orac. et vat. 1, 6. — Phemonoës versus hi esse feruntur ap. Paus. 10, 6, 3.:

ἀγχοῦ δὴ βαρὺν ἰὸν ἐπ᾽ ἀνέρι Φοῖβος ἐφήσει
σίντῃ Παρνησσοῖο· φόνου δὲ Κρήσιοι ἄνδρες
χεῖρας ἁγνιτεύουσι· τὸ δὲ κλέος οὔποτ᾽ ὀλεῖται.
Phoebi missa manu sternet letalis arundo
Parnassi vastatorem: tunc caede piabunt
Hunc Cretes, facti nec fama abolebitur umquam.

Sed jam ante Phemonoen *columbae Dodonaeae* ita cecinisse dicuntur ap. Paus. 10, 12, 5.:

Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστί, Ζεὺς ἔσσεται, ὦ μεγάλε Ζεῦ·
Γᾶ καρποὺς ἀνίει, διὸ κλῄζετε μητέρα γαῖαν.

Hexametri originem alii ad oraculum Delphicum omnino retulerunt, ut Plin. H. N. 7, 56. v. Fabric. B. Gr. T. 1. p. 207. 210. Harl. Ol. Borrich. de poet. p. 7. Fr. Schlegel. hist. Gr. poes. p. 36. Thiersch. de Hes. p. 38. Creuzer. Symbol. T. 1. p. 103. (125.), Ottofr. Mueller. Dor. T. 1. p. 349. Orpheo etiam tribuitur inventi hexametri

seriora sunt, quam Thierschius opinatur, neque ad rudia et inculta Pelasgorum secula retrudenda. Inventi quidem sunt versus apud Pausaniam, qui Homeri aetatem longe superant, et qui ex iis derivandi sunt temporibus, ubi Tellus et Neptunus mortalibus oracula Delphis edebant, id est, ante Phoeben, Phoebum et Themidem:

Αὐτίκα δὲ Χθονίη σφετερὸν πινυτὸν φάτο μῦθον,
Σὺν δέ τε Πύρκων ἀμφίπολος κλυτοῦ Ἐννοσιγαίου [39]).

XVII.

Jam vero Orphicum poesis genus Homerico esse antiquius, duplex nobis persuadet ratio. Primum humani ingenii progressus docent, poesin lyricam, et quae huic cognata est, didacticam, apud quemlibet populum prius oriri, quam epicam [40]). Deinde omnia fere antiquissima poetarum

---

laus (Antipater Sid. Anthol. Jacobs. II, 40. (3. p. 388.). cf. Gyrald. T. 2. p. 73. c.): quam narrationem Bruckerus (Hist. philos, T. 6. p. 202.) ita ineptissime refert: "Orpheus *carmen* heroicum aut primus invenit; aut *ad mysteria Bacchi traduxit. Nam ante dithyrambi Baccho erant dicati*"!!

[39]) Ita legendi sunt versiculi (ap. Pausan. 10, 5, 3. ex Musaei Eumolpia). Aliud tentavit Sylburgius; aliud Passowius (Musae. p. 76. 77.). quod nunc non curo (cf. etiam Lil. Gyrald. T. 2. p. 79. e. f.). — Caeterum vanum est argumentum, quo Thierschius utitur (p. 33.), hos versus ideo esse Homero antiquiores, quia res Homero antiquior in iis memoretur. Quae ratio si valeret, verendum foret, ne novissima quaeque pro vetustissimis mox haberentur.

[40]) Nondum legitimam et e castigatae artis regulis dijudicandam nec lyricam nec didacticam Orphei poesin illis temporibus expectabis. At cantu et citharae et vocis quantumvis mediocri rudes et incultae etiam aures Orphicae aetatis miris modis moveri poterant (Exempla hujus rei, e recentioribus temporibus petita, v. ap. Pauw. Recherches sur les Grecs T. 2. p. 120 sq. cf. Wielandi Mus. Att. T. 1, 2. p. 289.); et magis etiam, ut opinor, quam doctissimae Pindarici aevi aures artificiosissimorum et perfectissimorum carminum lyricorum compositione moveri solebant. — Legitimi carminis didactici perfectio ab Heraclito, Xenophane, Parmenide demum incipit.

Graecorum nomina ad Orphicum poesis genus pertinent, non ad epicum. Utrumque tamen heroicam aetatem non excedit; neque alterum longo temporis intervallo ab altero dissitum est; sed, quum facillimus esset transitus, brevi se exceperunt; ita ut neutrum interiret. Quaecunque de Orpheo, Lino, aliis, a veteribus narrantur, ad heroica tempora spectant; non ad antiquius aevum [41]). Thamyris vero nomen ad prima epicae poesis incrementa spectat: eum in eodem, quo Orpheus, poesis genere, non versatum esse, plures veterum narrationes arguunt, quibus a Musis in certamine victus et oculorum lumine privatus esse traditur et canendi facultate; quod cum sancto poeta, et deorum cultui addicto, omnino conciliari nequit [42]). Deinde Orpheus in idem certamen musicum Delphis prodire noluit [43]), quo Thamyris vicerat; qua re, nisi omnia me fallunt, utriusque poetae diversitas satis indicatur. Hymnorum, a Thamyri can-

---

[41]) De Lino saltem et Orpheo certissimum est. Aliter sentit Heeren. Ideen. 3, 1. p. 160. (156.), et Heyne ad Hom. T. 4. p. 334. alibi.

[42]) Hom. Il. 2, 595. Eurip. Rhes. 922. Plutarch. de mus. p. 1132. c. Apollod. 1, 3. 3. Diodor. 3, 9. Lucian. revivisc. 6. T. 1. p. 576. Reiz. Dio Chrys. 13. p. 225. Julian. ep. 41. Hygin. poe. astr. 2, 6. p. 437. Stav. Lepidam hujus fabulae interpretationem v. ap. Tzetz. chil. 7, 108. — Cf. Heeren. 3. 1. p. 161. (161.). Fr. Schlegel. Gr. poes. hist. p. 48. Ottofr. Mueller. Orchom. p. 388.

[43]) σεμνολογίᾳ τῇ ἐπὶ τελεταῖς καὶ ὑπὸ φρονήματος τοῦ ἄλλου. Pausan. 10, 7, 2. Longe aliud suspicatur Creuzer. Symbol. T. 3. p. 1 18. (162.). Illam tamen diversitatem parum curarunt Graeci, qui Thamyrin cum Orpheo ad idem poesis genus referunt, et una saepissime memorant (Plato de legg. 8. p. 829. d. Jon. p. 533. b. de Rep. 10. p. 520. b. Pausan. 4, 26, 3. Strab. 10. p. 722. Tatian. adv. Gr. 62. p. 136. Col. quem exscripsit Euseb. pr. ev. 10, 11. p. 495. Clem. Alex. Str. 1. p. 307. Philostr. soph. 1. p. 488. 521.; cum Demodoco et Phemio memorat Lucian. de domo T. 3. p. 200. Reiz.). Quo errore inducti, aliud peccarunt alii, qui Thamyrin Musaei patrem fecerunt (Suid. s. v. Μουσαῖος. T. 2. p. 578.). Veri Thamyris parentes esse possunt Philammon et Arsionoë, seu Argiope (Is. Voss. ad Melam 2, 1. p. 706. ed. 2. Gronov.). Nam Philammon quoque nihil cum Orpheo commune habet, et serius demum ad mysteria traductus est (Pausan. 2, 37, 3.). Illinc etiam apparet seriorum Graecorum temeritas, qui Orpheo matrem dederunt Menippam, Thamyris filiam; v. Tzetz. chil. 1, 133. 8, 157.

tatorum, memoriam qui ad nos detulerunt, obscuram quandam famam sequuti esse videntur [44]. Quae num vera fuerit, an inde conficta, quod Graeci omnibus antiquissimis poetis suis hymnos tribuere consueverint, non audeo dijudicare. Scriptos saltem Thamyris hymnos Graeci numquam viderunt. Certior fama fuisse videtur de Thamyri, primo Titanomachiae et Cosmogoniae conditore: quae carmina subinde resuscitabant Graeci [45]. Primum Thamyrin sine voce cithara cecinisse, unus, quem novi, Plinius memoriae prodidit [46]. Easdem Thamyris, cithara sine

44) Plato de legg. 8. p. 829. d. Pausan. 10, 7, 2. Plutarch. de mus. 11. p. 1136. b. Steph. Byz. v. Ἀνθήδων, Lycophr. 754. — Versus Homeri (Il. 2, 595.) recitat Strabo 8. p. 522. b.

45) Πεποιηκέναι δὲ τοῦτον ἱστορεῖται Τιτάνων πρὸς τοὺς θεοὺς πόλεμον. Plutarch. de mus. p. 1132. c. ex Heraclidis Pontici συναγωγῇ τῶν ἐν μουσικῇ; qui gravissimi momenti liber ex integro et incorrupto fonte haustus erat: nam Plutarchus addit: πιστοῦται δὲ τοῦτο ἐκ τῆς ἀναγραφῆς τῆς ἐν Σικυῶνι ἀποκειμένης, δι' ἧς τάς τε ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει καὶ τοὺς ποιητὰς καὶ τοὺς μουσικοὺς ὀνομάζει. Omnino multa insignia similis generis librorum fragmina in illo Plutarchi scripto servata sunt; sed parum vulgo nota, vel incuriose habita. — Titanomachiae postea compositae sunt ab Eumelo, vel Arctino (Athen. 7. p. 277. d. Clemens Al. Str. 1. p. 398. Eudoc. p. 91. Heyne ad Virg. 1. exc. 19. et 2. exc. 1. ad Apollod. 3, 8, 2. Groddeck. Bibl. Gotting. lit. vet. 2. p. 91.) — Simile carmen Musaeo tribuit Schol. ad Apoll. Rh. 3. 1178. Eudoc. Κάδμος. p. 248. (Interpp. ad Ovid. Met. 5, 321. Passow. Musae. p. 75 sq. Hug. de mytho p. 16.). — Thamyris Cosmogonia ἐν πεντακισχιλίοις στίχοις memoratur ab intestabilibus quidem scriptoribus (ut Tzetz. chil. 7, 108. Suid. v. Θαμ. cf. Bayle. v. Thamyr.); sed hi antiquiores testes sequuti sunt. — Primi illius carminis argumentum suspectum reddere nequit J. H. Vossii observatio de Titanibus et Gigantibus (Epist. mythol. T. 2. p. 15. 49. 259. 296. Weltkunde p. v. ix. xxvi. xxviii.).

46) Plin. H. N. 7, 56. — Lessingius (Vit. Soph. p. 102.) provocat quidem ad Athen. 1. p. 20. f.; verum et hinc nihil potest elici. At egregia est ejusdem Lessingii (p. 104.) observatio de Thamyris larva, quam Pollux (4, 19, 334.) memorat; illa continuo refellit A. W. Schlegelium (ars dramat. T. 1. p. 93. 98.). — Caeterum ut Thamyris a Sophocle (Athen. 1. p. 20 f. 4. p. 175. f. 11. p. 637. a. Pollux 4, 75. Eustath. ad Od. 2. p. 271, 40. Rom. Schol. ad Soph. Oed. Col. 391. Lexicogr. ined. ap. Brunck. in Lexic. Sophocl. v. κάνναβις. Soph. Fr. p. 11 sq. ed. Brunck. Valkenaer.

voce canentis, partes jam Sophoclem in fabula ὁμωνύμῳ aliquando suscepisse, ingeniosa, sed falsa, Lessingii conjectura est. Nam veteres clare testantur, Sophoclem, quum Thamyris partibus fungeretur, voce nimis submissa et debili usum esse: quae res non potuisset animadverti, si sine voce cithara cecinisset.

XVIII.

Quo altius in cujusvis populi antiquitatem ascendimus, et quo accuratius ultimam ejus memoriam cognoscere studemus atque perspicere; eo certior apud nos persuasio fiat necesse est, omnia vetustiora tempora rerum gestarum et traditarum inopia in angusta quaedam spatia comprimi. Orbis terrarum historiam contende quam antiqua, id est, quam nova majoribus nostris olim apparebat: at ex quo eandem in ipsis terrae visceribus quaerere coeperunt, mirum est, quam incredibiles et fere portentosae res in lucem prolatae sunt. Nunc ingentes temporum vastitates se nostrae

ad Theocrit. p. 225. Plutarch. T. 2. p. 1093. b.), et ab Antiphane (Athen. 7. p. 300. c.) ita Orpheus etiam et Linus, aliique seriores poetae, ad dramaticae poesis argumenta traducti sunt. Orpheo primarias partes Aeschylus in Bassaridibus tribuit (Eratosthen. cataster. 24. p. 19. ed. Schaub.). Linus pluries ad partes vocatus est, ut ab Alexide (Athen. 4. p. 164. b.), ab Achaeo Eretriensi in fabula satyrica (Athen. 15. p. 668. a. de cujus versibus vid. Jacobs. in Athen. p. 494. Toup. Ep. Crit. p. 45. Fiorillo ad Herod. Attic. p. 163.). Hesiodus etiam in scenam prodire jussus est a Teleclide, comico poeta (Athen. 8. p. 344. d.), et a Nicastrato (Athen. 7. p. 301. b.). Incredibile dictu est, quid misella Sappho cum Phaone suo comicorum Graecorum improba delectandi libidine passa sit. Sapphonem scripserat Amphis (Becker. Anecd. Gr. T. 1. p. 89.), Ephippus (Athen. 13. p. 572. c.), Timocles (Athen. 8. p. 339. c.), Antiphanes (Athen. 10. p. 450. e. Pollux 7, 211. fin. 192. 10, 40. ibiq. Hemsterhus.), Diphilus (Athen. 13. p. 599. d. 11. p. 487. d.). Phaonem produxerat Plato (Athen. 1. p. 5. b. 4. p. 146. f. 7. p. 325. c.), et Cratinus (Athen. 2. p. 69. d.). Cf. Fabric. B. Gr. T. 2. p. 488. 123., Valkenaer. ad Theocrit. Adon. p. 222., A. W. Schlegel. ars. dramat. T. 1. p. 376., Welcker. Sappho. p. 89. — Phileuripidem composuerat Axionicus (Athen. 8. p. 342. b.).

nostrae mentis oculis extendunt, de quibus hominum memoria ne verbulum quidem servavit. Horret et tremiscit animus in tacita contemplatione jacturae tot tantarumque rerum, quam imbecilla hominum memoria subiit. Verum hactenus propitior sors contigit his rebus, quam populorum historiae, quod certa quaedam documenta satis clare testantur, fuisse aliquando alium rerum ordinem; et saepius etiam qualis hic fuerit, obscure inde divinare possumus: sed antiquissimae populorum res gestae, nisi mansuris artis monumentis aeternitati traditae sunt, prius oblivione aboleri solent, quam scribendi usus vulgari coepit. Ac poetas, qui fortia suae gentis facta carminibus mandaverint et sequioribus seculis tradiderint, in primis illis temporibus vel frustra quaeras, vel, etiamsi inveneris, nihil tamen eorum, quae versibus celebrarunt, ad historica tempora pervenit. Verissime Horatius:

Vixere fortes ante Agamemnona
multi: sed omnes illacrimabiles
urgentur ignotique longa
nocte, carent quia vate sacro.

Vaga et incerta totius heroicae aetatis memoria est, et ita plerumque decurtata, ut, quae multorum opera et diligentia longa annorum serie perfecta sunt, ea in tantillam unius hominis vitam coacervata reperiamus. Sic Hercules omnem Doricae stirpis et internam et externam vitam, quamdiu circa Olympum et Oetam habitabant, repraesentat. Quod quidem temporis spatium quum nobis tum Graecis brevissimum visum est: at plura fortasse secula complectitur. Sic Graeci omnem suae gentis infantiam, sanctorum poetarum praeceptis eruditam, et religione deorumque cultu temperatam, ad unum Orpheum referre solebant, cujus memoria omni tempore sancta apud eos est habita, utpote qui numquam obliti sunt, ab eo quasi fundamentum omnis sequentis splendoris jactum esse. Hanc igitur ob causam Orphei nomen, tanquam lucidum sidus, in tenebri-

cosis illis temporibus fulget, quia antiquitas omnia primae aetatis lumina poetarum in Orphei sidus contraxit et condensavit [47]). Hoc exstinguere non potuerunt celebratissima posteriorum seculorum nomina, quae iterum innumera alia luce sua privarunt. Quod eo magis est admirandum, quo certius cordatissimi inter Graecos sibi persuaserant, ne unum quidem genuinum Orphei carmen scripturae mandatum esse, sed, quo tempore vetusta poetarum carmina litteris primum consignari coepissent, omnia jamdudum interiisse. At qua tandem via et quanam ratione Orphica poesis propagata, subinde mutata, et ad alienas doctrinas traducta est? nam nullum umquam carminum genus tam constantem apud Graecos per omnium seculorum decursum auctoritatem nactum et tuitum est. Spissiores quidem sunt tenebrae, horum carminum primordiis primisque eorum aetatibus offusae, quam quas imbecilla nostra acies omnino penetrare possit: attamen tentemus saltem (et haud injucundus est labor) hujus poesis historiam primis lineis adumbrare ex veterum narrationibus. Quatuor aetates statuimus. Primam ab ejus origine (sec. 13. ante Chr. n.) usque ad Heraclidarum migrationes (1100. ante Chr. n.). Secundam ab Heraclidarum migrationibus ad Pisistratidarum tyrannidem (530). Tertiam a Pisistratidarum tyrannide ad posteriorum Lagidarum imperium Alexandriae constitutum (circiter ante Chr. 180.). Quartam ab hoc aevo ad Pythagoreo-Platonicorum tempora, ad Plotinum, Porphyrium, Jamblichum (250-310. post Chr.). Uberrima profecto rerum copia et disputandi materies;

---

47) Harum rerum vel ignorantia vel perversa explicatio multos viros doctos jam olim commovit, ut sub fabulosa Orphei persona originem, incrementa et perfectionem omnium artium disciplinarumque allegorice repraesentatam a serioribus Graecis esse statuerent; quam opinionem postremi repetierunt duo Francogalli, de la Chau et le Blond (*Description des principales pierres gravées du Cabinét de S. A. S. Monseigneur le Duc d'Orleans*, T. 2. nr. 1. 1784.); et Italorum unus, Cromaziani (*Della historia e della indole di ogni filosophia* etc. Vol. II. 16 p. 3 sq.).

in qua tamen tractanda exiguum quendam orationis modulum angusti hujus scriptionis fines nobis praescribunt [48]).

XIX.

Plura nobis servata sunt poetarum nomina, quae ad Orphicum poesis genus per primam, quam statuimus, aetatem servatum, vel magis etiam amplificatum et excultum, omnino spectant. Nihil hic curamus cognationis vincula, quibus plerique vetustissimorum poetarum inter se conjuncti fuisse dicuntur; quae res haud majorem vim mihi habere videtur, quam si veteres eorundem originem ex Apollinis, vel mortalium concubitu cum Musis *ἀειπαρθένοις* derivarunt. Verumtamen ejusmodi cognationes non temere fictae sunt, sed aliquid plerumque significant, quod modo clarius modo obscurius se nostrae intelligentiae prodit. Triumviros arctiore, quam Orpheus, Musaeus, Eumolpus, inter se vel necessitudinis vel amicitiae vinculo conjunctos, Graeca antiquitas vix novit. Num Orpheus sapientiam suam ex Musaei, an Musaeus ex Orphei disciplina petierit [49]), parum cu-

[48]) Plura, quae paucis hic indicantur, clariorem lucem accipient ex iis, quae deinceps de patria et natura Orphicae poesis disputaturi sumus. Ubi omnis antiquus testis in primis illis aetatibus nos destituet, vel sollicitos tenebit, et ad desperationem paene adducet; auxilium nobis a conjectura petendum erit, non ab ambitiosa ista, vel vaga; sed a simplici et moderata, qualem harum rerum critica nobis facile largietur. Novitiorum librorum fontes hic aut nulli manant, aut perexigui tantum.

[49]) Artapanus ap. Euseb. praep. ev. 10, 8. p. 480., Clem. Alex. Str. 1. p. 397., Suidas T. 2. p. 578. Kuester., Eudocia p. 303. — Santocrucius (de myster. T. 1. p. 117.) Musaeum Orphei filium apud Platonem vocari dicit: vellem locum indicasset, quem frustra quaesiveris. Similem operam luderes, si ea quoque ex antiquo auctore derivare velles, quae Gilliesius tradit (hist. Gr. T. 1. p. 252. ed. Bas.). — Genuinus Musaei pater esse saltem potest Antiphemus, sive, secundum epicam protractionem, Antiophemus. Pausan. 10, 5, 3. 10, 12, 6. Orph. Argon. 310. Androtion ap. Schol. ad Soph. Oed. Col. 1051. Fr. p. 116. Siebelis.; cf. Passow. Musae. p. 7. 22., et quae conjecit Santocrucius de myster. T. 1. p. 112 - 120. 468 sq.

ramus: nec multum profecto interest, utrum Eumolpi origo a Musaeo, an Musaei ab Eumolpo derivanda sit [50]). Illud tamen jure hinc colligas, haec nomina ad unum idemque poesis genus pertinere [51]). Orpheum et Musaeum omnibus in rebus simillimos sibi finxerunt veteres: utrique eadem sanctissima mysteriorum instituta, utrique eadem fere carmina tribuerunt. At haec res explicanda est ex veterum more, quo omnia similia ad unum temporis momentum conjicere solent. Musaei Eumolpique nomina ad poesin sacram, sive Orphicam, usque ad Heraclidarum reditum in ipsius Graeciae regionibus propagatam mihi referenda esse videntur [52]). Huc

---

50) Utrumque traditur; v. Mar. Par. ep. 15. lin. 28.: [Ἀφ' οὗ Εὔμολπος, ὁ Μουσαί[ου] τὰ μυστήρια ἀνέφηνεν ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ τὰς τοῦ [πατρὸς Μ]ουσαίου ποιήσ[ει]ς ἐξέθηκ[εν, ἔτη ΧΗ . . . βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἐρεχθέ]ως τοῦ Πανδίονος. p. 22. Chandler., cf. Suidas v. Εὔμολπος. T. 1. p. 897., et Fabric. Gr. T. 1. p. 119. 599. — Μουσαῖος ὁ Εὐμόλπου ap. Philochor. Schol. ad Aristoph. Ran. 1065.; Fr. p. 102. Siebelis., Musaei epitaphium ap. Schol. ad Aristoph. Ran. 1033., et ap. Diog. Laert. 1, 3. in Brunckii Analect. T. 3. p. 253. nr. 485. cf. Pompon. Sabin. ad Virg. Aen. 6, 667., Syncell. p. 156. d. Illud epitaphium non memorat Pausan. 1, 25, 6.; quo loco Musaei sepulcrum conditum esse tradit e regione acropolis, haud procul a Piraeeo, ἔνθα Μουσαῖον ᾄδειν, καὶ ἀποθανόντα γήρᾳ ταφῆναι λέγουσιν. Epitaphium autem hoc afferunt:

Εὐμόλπου φίλον υἱὸν ἔχει τὸ Φαληρικὸν οὖδας
Μουσαῖον φθίμενον σῶμ' ὑπὸ τῷδε τάφῳ.

Musaei mater Μήνη, sive Σελήνη (ap. Platon. de Rep. 2. p. 365. a. T. 6. p. 221. Bip., Hermesian. Athen. 13. p. 597. d. Ruhnken. Ep. Crit. II. p. 287., Philochor. Fr. p. 102., Procl. ad Plat. Tim. 1. p. 34. 51. Bas., Serv. ad Virg. Aen. 6, 667. O. Mueller. Dor. T. 1. p. 340.) aliquid significat, et ad mysteriorum auctorem haud dubie spectat. — Alcidamas (T. 8. p. 75, 33. ed. Reiske) Musaeum ad Eumolpidarum progeniem omnino refert; cf. Valkenaer. ad Euripid. Phoen. p. 203. a. Passow. Mus. p. 213.

51) Idem ex Palaestinis verborum radicibus extorsit Sickler. Hymn. in Cerer. p. 66. 118. — Huc pertinet fama apud Delphos servata (Pausan. 10, 7, 2.); deinde eae veterum narrationes, quas Diodorus iteravit (5, 77.), et Lucianus (de saltat. 15. T. 2. p. 277. T. 5. p. 132. ed. Bip. ibiq. Reiz. p. 451 sq. cf. Silvestre de Sacy ad Sanctocruc. T. 1. p. 385. —); Aristides (laus Bacchi T. 1. p. 51. Steph.) et Simplicius (ad Aristot. de coelo p. 139. Ald.).

52) Musaei aetatem serius quam Orphei ponit Marmor Parium. vid. Passow. Musae. p. 25., Saxii Onomast. T. 1. p. 8.

etiam pertinet Pamphos, qui Atheniensibus antiquissimos hymnos composuisse dicitur [53]). Omnia, quae his poetis tribuuntur, carmina, in primis spectasse videntur ad mysteriorum usum, sive ad internam (esotericam) Graecae religionis partem, ad arcanum Deorum cultum. Quam vero poësin Graeca antiquitas sub Lini, Olenis et Philammonis nominibus complexa est, ad publicum Deorum cultum spectabat. Ex hac cum epico genere confusa, posthac ea hymnorum forma prodiit, quae in Homeridarum hymnis nobis servata est. Lini, Olenis et Philammonis poesin Apollinis cultus totam fere sibi vindicat: Orphei, Musaei, Eumolpi et Pamphus carmina sanctam Cereris et Bacchi religionem potissimum celebrasse videntur [54]).

---

[53]) Pausan. 9, 29, 3: Πάμφως δὲ, ὃς Ἀθηναίοις τῶν ὕμνων ἐποίησε τοὺς ἀρχαιοτάτους. Ibid. 9, 27, 2.: Ὀρφεὺς καὶ Πάμφως ἔπη ἐποίησαν, καί σφισιν ἀμφοτέροις πεποιημένα ἐστὶν ἐς Ἔρωτα, ἵνα ἐπὶ τοῖς δρωμένοις Λυκομῖδαι καὶ ταῦτα ᾄδωσιν. cf. 9, 31, 6. 9, 35, 1. 8, 35, 7. 1, 38, 3. 1, 39, 1. cf. Kries. de hymnis vet. p. 9., Sickler. Hymn. in Cerer. p. 55. 67. — Versiculum servavit Pausan. 7, 21, 3: Πάμφως δὲ, ὃς Ἀθηναίοις τοὺς ἀρχαιοτάτους ὕμνων ἐποίησεν, εἶναί φησι τὸν Ποσειδῶνα.

ἵππων τε δωτῆρα νεῶν τ' ἰθυκρηδέμνων.

Duos alios vide apud Philostratum (Heroic. p. 693. Olear.) "Quaedam adhuc hujus carmina ipse legi" Lilius Gyraldus dicit (T. 2. p. 83. a.); vellem nobis indicasset, quae adhuc nemo mortalium indagare potuit. — Quae ratio Heynium commoverit, ut Pampho in feminam transmutaret (de Theogon. ab Hes. cond. in Commentt. Gotting. Vol. 2. p. 132.), me plane fugit. Simile quid Chrysothemidi Cretensi, qui inter primos oraculi Delphici sacerdotes fuit, accidisse memini. De Boeo certum est jam veteres dubitasse, num mas fuerit an femina (Boeus an Boeo); vid. Philochor. ap. Athen. 9. p. 393. e. Fr. Siebelis. p. 105. Boeo, poetria Delphica, memoratur a Pausania 10, 5, 4. cf. Clemen. Alex. Str. 3. p. 586.; Boeus poeta ab Anton. Liberal. 3, 7. 11.; cf. Fabric. Bibl. Gr. T. 1. p. 107. T. 4. p. 310., Mellmann. de causis et auct. narr. de mut. form. p. 69. 74., Bayer. de Hyperbor. in Commentt. Petropol. T. XI. p. 341.

[54]) Notissimi sunt Homeri versus de Lini carmine Il. 18, 570:

τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάϊς φόρμιγγι λιγείῃ
ἱμερόεν κιθάριζε. Λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδε
λεπταλέῃ φωνῇ.

Sed, quo clarius carminum Orphicorum historia antiquissima appareat, haec paucis tantum a nobis attingi possunt. Uberiorem harum rerum ex-

---

quos Pausanias (9, 29, 3.), Thebanorum de Lino narrationes exponens, recitat. Linus autem apud Homerum est carmen in antiquum ejusdem nominis vatem; nihil amplius. Ridicula sunt Graecorum commenta (ut Philochori ap. Schol. Villois. ad l. l., cf. Schol. Venet. A. et Victor., Eustath. p. 1163. Rom. Suidas v. Λίνος T. 2. p. 449. ibiq. Kuester; cf. Hesychii interpp. v., Eudocia. p. 277. Siebelis. Fr. p. 98. Heyne T. 7. p. 803.), nonnisi ex Homeri loco perperam intellecto repetenda, qualia in similibus rebus innumera exstant, de lineis fidibus (λίνος) a Lino (vocis similitudine) in chordas mutatis. Vox λίνον de linea fide non modo numquam apud Homerum, sed ne apud ullum quidem totius Graecae antiquitatis scriptorem occurrit. Jam hac ex causa non probare possum, quae Koeppenius protulit, et Heinrichius (Obss. p. 36.), et Heynius (T. 7. p. 550 sq.). — Quam late patuerit jam ante Homerum illius carminis, quod erat ex genere τῶν θρηνητικῶν μελῶν, usus, ipsius Homeri versus testantur, quibus occinitur vindemiatoribus solenniter saltantibus. Cum his optime conveniunt Hesiodi versus (ap. Eustath. ad Il. p. 1163, 57. Rom.):

> ὃν δὴ (Λίνον), ὅσοι βροτοί εἰσιν, ἀοιδοὶ καὶ κιθαρισταί,
> πάντες μὲν θρηνοῦσιν ἐν εἰλαπίναις τε χοροῖς τε.

et ea quae Aristophanes olim ex Euripide enotaverat in Lexico Attico: Λίνος δὲ καὶ αἴλινος, οὐ μόνον ἐν πένθεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπ' εὐτυχεῖ μολπῇ (ap. Athen. 14. p. 619. c. Euripidis versus est in Herc. Fur. 347., ibiq. Hermann.; id quod et Casaubonum et Schweighaeuserum fugit; cf. Aeschyli versum intercalarem in Agam. 123. ibiq. Stanley. Eurip. Or. 1402. Pollux 1, 1. 38.). Hinc factum est, ut Lini carmen, quamvis submissa et leniter temperata voce decantatum (Λίνος μετ' ἰσχνοφωνίας ᾀδόμενος, Philochor. ap. Schol. ad Il. l. l.), de quocunque carmine diceretur (Philostrat. Imagg. 10. p. 879. Olear.); ita ut ᾆσμα θρηνῶδες in Linum peculiari nomine designandum esset, Αἴλινος sive Οἰτόλινος (Pamphos et Sappho ap. Pausan. 9, 29, 3.; Epicharmus et Euripides ap. Eustath. p. 1164, 8.). — Propria Lini carminis sedes quaerenda est in Boeotia et Argolide; hinc ad Cyprios transiit, a Cypriis ad plurimos Asiae minoris populos; ad Phoenices etiam, indeque ad Aegyptios. — De Lino, cum Argivorum cultu Apollinis arctissime conjuncto, vid. Conon. narr. 19. Aristid. Eleus. p. 259. — Memorabiles quasdam fabulas de Lino, apud Thebanos insigniter culto, narrat Pausanias 9, 29, 3. — Et Argis (Pausan. 2, 19, 7.) et Thebis ejusdem vatis sepulcrum olim exstabat, cujus epitaphium apud Diogenem Laertium (1, 4.) hoc fuisse fertur:

> Ὧδε Λίνον Θηβαῖον ἐδέξατο γαῖα θανόντα,
> Μούσης Οὐρανίης υἱὸν ἐϋστεφάνου.
> *Candida purpureis redimitae tempora sertis*
> *Thebanum Uraniae continet urna Linum.*

plicationem in aliud tempus differimus. — Unius memoriae custodia Orphicam poesin servatam et propagatam esse, neque firmiora et validiora

Memorabilius tamen est, quod de Apolline, occisi Lini et vindice et interfectore narratur. Ille ad Argivos, Sicyonios et Tegeaeos referendus est; hic ad Thebanos et vicinae Euboeae incolas. Si pro Apolline, Lini interfectore, Herculem substitutum reperies, nihil hac re ratio mutatur: nam Hercules ubique fere Apollinis voluntatem exsequitur (Conon. narr. 19. Kanne. p. 222. Hoesch. Propert. 2, 10, 8. Pausan. 9, 29. 3. Apollod. 1, 3, 2. 2, 4, 9. Theocrit. 24, 103. Aelian. V. H. 3, 32. Heraclid. Pont. ap. Plut. de mus. p. 1132. a. Eustath. ad Il. 2. p. 298. 10. p. 817. Rom. Diodor. 3, 66. Diog. Laert. 1. 4. Sext. Emp. adv. mathem. 10. p. 41. Clem. Str. 1. p. 323. Theodoret. Therap. 2. p. 28 sq. cf. Spanhem. ad Callimach. p. 466., Ilgen. de Scolior. poesi p. 15 sq., Voss. ad Virg. Eclog. 4. 56. p. 213 sq.; Siebelis. ad Hellen. p. 132.). Musarum carmen in Linum cognoscere poteris ex Philochori quodam fragmento (ap. Schol. B. ad Il. 18, 570.): cujus initium hoc est. Ὦ Λίνε, θεοῖς τετιμημένε· σοὶ γὰρ πρώτῳ μέλος ἔδωκαν ἀθάνατοι, ἀνθρώποισι φωναῖς λιγυραῖς ἀεῖσαι· Φοῖβος δέ σε κότῳ ἀναίρει, Μοῦσαι δέ σε θρηνοῦσι. Aliud similis coloris servavit Eustath. p. 1163, 59. v. Brunckii Anal. T. 3. p. 252. nr. 480.; aliud plane dissimilis coloris, haud dubie a Pythagoraeo quodam profectum, exstat ap. Jamblichum Vit. Pyth. 87. Apud Cyprios Lini carmen Cinyras appellatum est (Eustath. ad Il. 11. p. 897, 15. Suidas et Hesych. v. Κίνυρα; nomen non affert Herodot. 2, 79. cf. Gyrald. Op. T. 1. p. 567. a. T. 2. p. 62 - 63.). Cyprios autem quum constet jam antiquissimis temporibus cum Phoenicibus mercaturam exercuisse, idem canticum ad hunc quoque populum pervenisse probabile est: nam apud ipsos Phoenices poesis numquam viguit. (Herod. 2. 79.). A Phoenicibus ejusdem carminis ad Aegyptios transitus facilis erat, apud quos sub nomine Μανέρως exstabat (Herodot. l. l. Pausan. 9, 39, 3. Plutarch. de Is. et Os. p. 637. Pollux 4, 7, 54. Nymphis ap. Athen. 14. p. 620. a. Suidas et Hesych. v. Μανέρως). Atque Herodotus animadvertit, Aegyptiis nullam praeterea poesin suo tempore notam fuisse. — Idem carmen apud plurimos Asiae minoris populos sub aliis nominibus cantatum esse, multi veterum loci comprobant (Eurip. Orest. 1402. Aeschyl. Pers. 941. 1059. Pausan. 9, 29, 3. Nymphis apud Athen. 14. p. 619. f. Schol. Apoll. Rh. 2, 724. 1, 1133. Schol. ad Theocrit. 10, 41. p. 939. Kiesl. Eustath. ad Dionys. 791. Callistrat. p. 106. Hesych. v. Λίνος. Pollux 4, 7, 54. 4, 10, 76.). — De Lino omnino vid. dissertationem Hauptmanni satis mediocrem (Gerae 1760. 4.); Mignot. in Mém. de l'Academ. T. 36. p. 91 - 106., Barre T. 16. p. 81., Guignes. *Mémoire sur l'inscription du tombeau de Sardanapale.*, Wesseling. ap. Valkenaer. de Aristob. Jud. p. 135., Creuzer. ad Hermann. Ep. p. 171.; Symbol. T. 2. p. 246. (263.). His meliora vid. ap. Kannium mythol. Gr. p. LIII - LVIII. (cf. quae inde Indibundus trajecit in Pantheum p. 123. 512.), — et apud O. Muellerum, Orchom. p. 293., Dor. 1. p. 346 - 348. 434. — Parum profecit Sickler. ad Hymn. in Cer. p. 57 - 62. — [illegible]

hujus rei adminicula illis temporibus nota fuisse, omnes sciunt, qui Graecam antiquitatem cognoverunt. Quam rem si accuratius perpenderimus,

Olen Hyperboreus (Lycium fuisse conjectura est Graecorum, qui Hyperboreos in Lycia quaerebant) nonnisi hymnos composuit, qui toti circa Apollinis cultum versabantur (Pausan. 1, 18, 5. 2, 13, 3. 5, 8, 4. 8, 21, 2. 9, 27, 2. 10, 5, 4. Herod. 4, 2, 35. Callimach. in Del. 304. ibiq. Spanh., Clem. Alex. Protrept. p. 29., Diodor. 3, 140., Alexand. Polyh. ap. Suid. v. Ὠλήν). Delos et Delphi antiquissima hujus generis carminum, quae Dorico ore canebantur, patria est; et Olen ipse ad oraculi Delphici primordia spectat, ut Boeo, poetria Delphica, tradit apud Pausan. 10, 5, 4.:

Ὠλὴν θ', ὃς γένετο πρῶτος Φοίβοιο προφάτας,
πρῶτος ἀρχαίων ἐπέων τεκτήνατ' ἀοιδάν.

Quam rem si quis cum J. H. Vossio (Weltkunde p. xix. J. L. Z. 1821. p. 185. 1823. p. 405.) ad Olymp. 50. referret, mirum in modum historicas eluderet rationes: nam hoc nemo veterum tradidit; illud autem omnes, qui de Olene loquuti sunt. — De Olene vid. praeterea Crassi historia de' poeti gr. p. 370., Kanne mythol. Gr. p. 85., Creuzer. Symbol. T. 2. p. 112-128. (116-137.). 164. (150.); Huellmann. Primord. hist. p. 79-81., et praeclaras observationes O. Muelleri, Dor. T. 1. p. 267 sq. 312 sq. 348 sq. — Leviora sunt, quae monuerunt Lil. Gyrald. T. 2. p. 117. e. - 118. f.. Voss. de poet. Gr. T. 3. p. 227. Op., Souchay. de hymn. vet. in Mém. de l'Acad. T. 12. p. 12., Kries. de hymn. vet. p. 8. 9., Bayer. de Hyperb. in Commentt. Petropol. T. XI. p. 331-343., Hug. de mytho, p. 15., Ritter. Vorhalle p. 177. 431. Sickler. hymn. in Cer. p. 63.

Philammonis Parnasii quoque vetustos hymnos Apollo sibi vindicat (Heraclid. Pont. ap. Plut. de mus. p. 1132. a. Syncell. chron. p. 162. Schol. ad. Od. 16, 432. Pausan. 10, 7, 2.). Is primus dicitur Λατοῦς τε καὶ Ἀρτέμιδος καὶ Ἀπόλλωνος γένεσιν δηλῶσαι ἐν μέλεσι, καὶ χόρους πρῶτον περὶ τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν στῆσαι (Plut. l. l. cf. Mueller. Dor. T. 1. p. 348-350.). — Lernaeorum mysteria a Philammone condita esse, antiqua apud Graecos erat fama; sed nullius tamen momenti (Paus. 2, 37, 3.); ut Pausaniae verba declarant: τὰ μὲν οὖν λεγόμενα ἐπὶ τοῖς δρωμένοις δῆλά ἐστιν οὐκ ὄντα ἀρχαῖα. Hoc facile nobis persuadebimus, quum Philammoni nullum alibi cum mysteriis negotium sit. Et hic in certamen Pythicum prodiit, quod Orpheus sua persona indignum putabat. At argumentum, quod Pausanias, Arriphonte quodam auctore, profert, ut recentem illorum mysteriorum originem probet, eam vim habet, ut contrarium evincat. Omnia enim carmina, et quaecunque his soluta oratione erant inmista, dorice scripta erant; id quod ego de omnibus antiquissimis carminibus statuo. Parum autem accurate a Pausania est pronunciatum, Philammonis temporibus ne Doriensium quidem nomen Graecis notum fuisse. — Caeterum quo jure Musaeus Orphei discipulus audit, eodem et Philammon Thamyris pater vocatur (Pausan. 4, 33, 4. 10, 7, 2. etc., de mythica et poetica

facile intelligemus, quam proclives fuerint cujusvis generis et interpolationes et corruptiones, Graecis in primis hominibus, qui non nimis erant antiquorum tenaces, sed nova semper sectabantur; obsoletorum libenter obliviscebantur, praesertim quod ad poesin attinet [55]. Quo magis Graeci ingenii cultus progressus, et certis quibusdam gradibus legibusque ad fastigium evectus est, eo magis omnis poesis et temporum et hominum mutationes experta est; ita ut, quae antiqua Orphei Musa, quantumvis celebrata et divina, cecinerat, uno et altero seculo interjecto, vix amplius placere possent. Nam statim a principio severo edicto, et, si Diis placet, horrifico quodam jurejurando, cautum esse, ne quis utilissima Orphei carmina immutaret, et efficacem eorum vim frangeret; haec misella cantilena, qua etiam eae, quae hodie circumferuntur, Orphicae sententiae, summae antiquitati infarciuntur, novissima quaeque pro antiquissimis habentur, et summa omnino imis miscentur, haec, inquam, cantilena jamdudum rejicienda erat ad inveterata et obsoleta superiorum seculorum commenta. Ejusmodi edicta et leges numquam apud Graecos latae sunt; ne iis quidem temporibus, quibus recens natae respublicae mysteriorum instituta tuenda, et a quacunque injuria defendenda, severissimis propositis poenis, susceperant. Vetustiorum mysteriorum longe alia fuit ratio.

---

poetica ejus origine ex Apolline et Chione nympha v. Pherecyd. Fr. p. 118. St.). Philammon, Delphorum dux, in pugna contra Phlegyos occubuit Paus. 9, 36, 2. Schol. ad Od. 19, 432. Mueller. Orchom. p. 191. — Ad idem poetarum genus Anthes quoque pertinet (Plut. de mus. p. 1131. f.). Sed satis de his.

55) Οὐκ ἀείδω τὰ παλαιά,
καινὰ γὰρ ἅμα κρείσσω.
Νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει·
τὸ παλαιὸν δ' ἦν Κρόνος ἄρχων.
Ἀπίτω Μοῦσα παλαιά.
Ἓν καινὸν ἐγχείρημα, κἂν τολμηρὸν ᾖ,
πολλῶν παλαιῶν ἐστι χρησιμώτερον.

Timotheus Milesius, et Antiphanes in Alcestide, apud Athen. 3. p. 122. d.

Ad historiae fidem in his quidem rebus provocare non licet, quippe quae illis temporibus fere nulla est, si ab exiguis quibusdam politicae historiae fragmentis discesseris: de interno Graeciae statu ne tantillum quidem servatum est. Neque Homerica carmina pro omnium rerum Graecarum annalibus possunt haberi; quae notio tanto poeta omnino indigna est. Exiguus semper Homericus mythorum orbis videbitur ei, qui ingentem rerum, usque ad illud aevum gestarum, copiam cognoverit et rite aestimare didicerit. — Hac prima Orphicae poesis aetate, qua universa Graecorum natio unam tantum terram incolebat, necdum in diversissimas hujus orbis partes deductis coloniis disjecta erat, longe alius rerum ordo obtinebat, longe alius hominum status, quam qui deinceps sequutus est. Dissidebant quidem plerumque inter se singulae Graecorum stirpes, et satis gravia bella, quae multa turbarunt, inter se gerebant; infestabantur fortasse ab exteris quoque nationibus, quibus ipsi iterum et mari et terra bellum inferrent: sed haec omnia non impedire poterant, quo minus aliquis saltem ingenii cultus proveniret et incrementa caperet; neque omnino opus est, ut Musis omnia alta pace quiescant et paene sepulta sint, dulcissimoque otio diffluant [56]). Quamvis vero turbulenta illa tempora erant, non omnes tamen omnium Graeciae regionum incolae simul inimicitias susceperunt. — Itaque et haec nobis persuadent, poesin Orphicam illo aevo et ortam, et, ut infra clarius etiam a nobis demonstrabitur, in sacro Deorum cultu propagatam esse, Musaeo, Eumolpo, Pampho servatoribus.

---

56) Ita saltem Fr. Thierschius (de Hes. p. 41.) tempora et ante et post bellum Trojanum describit, contra ipsius Homeri, qui frequentium bellorum, ante Trojanam expeditionem gestorum, mentionem facit (v. c. Il. 7, 133. 11, 670. 11, 250.), et Thucydidis fidem (1, 11. 12.), Veriora sunt, quae de his rebus tradit Gillies. (hist. Gr. T. 1. p. 92 sq. Bas.), Heerenius (Ideen. T. 3. 1. p. 144.), et Fr. Schlegelius (hist. Gr. poes. p. 57.).

XX.

Maxima, quam libera Graecia umquam subiit, rerum conversio Heraclidarum cum Doriensibus reditu in Peloponesum producta est; qui incredibile est quam multum contulerit et ad Graecarum civitatum instituta conformanda, et ad hominum ingenia ad omnem elegantioris humanitatis excellentiam praeparanda [57]). At multa etiam, quae jam bene erant exculta, iisdem repentinis turbis iterum deleta sunt atque abolita. Achaeos enim et Jones jam tum temporis satis altum cultioris vitae gradum ascendisse, vel eorum coloniae et in Asiam minorem et in Italiam Siciliamque deductae probant; quae si ab inculta metropoli profectae essent, non potuissent profecto in diversissimis terrae partibus uno eodemque tempore ad fastigium evadere. Quam multa vero, quae ad superiorum aetatum memoriam pertinebant, hac communi fere omnium rerum mistura periisse vel saltem obscurata esse existimas? Prodiit quidem ex insignibus hisce ruinis melior paullatim et clarior rerum ordo: variae multiplicesque rerum publicarum formae ortae sunt; mutatus est omnis quum privatae tum publicae vitae ratio et usus; verum haec in coloniis multo maturius celeriusque provenerunt, quam in ipsa Graecia. Hic Dorienses, morum antiquorum magis tenaces, seriorem quidem, sed firmiorem splendidioremque rerum statum moliebantur. At nobiles Neleidarum Pelopidarumque familiae cum universa fere Achaeorum stirpe, a Doriensibus e sedibus suis exterminatae [58]), epica Musa, quam diu jam foverant, comite, aufugerunt

---

57) Isocrat. Panegyr. c. 15. p. 42. ed. Spohn. p. 68. Lange., orat. ad Philipp. p. 154., et Archid. p. 178. cf. ep. ad Archid. p. 758. Plura haud dubie de hac re apud vetustos Graecorum historicos olim lecta sunt, apud Theopompum praecipue, et Ephorum. Ab illo enim tempore certiorem historiam repetebant; multaque ejus rei monumenta restabant, Pausan. 5, 18, 2. Tacit. Ann. 4, 43. Heyne ad Apollod. p. 209.

58) Strabo. 8. p. 571. Pausan. 2, 13, 1. 8, 5, 4. 7, 3. 5. Diodor. Fr. T. 2. p. 635. Wessel. — Noli autem iis credere, qui hac Doriensium incursione *pristinam Hercu-*

trans mare, novam patriam, quam majores olim non sine sanguine expugnaverant, occupaturae. Resedit quidem et in ipsa Graecia poesis, quae in consecratis templis occinebatur Diis: epica vero Musa ad tempus certe ibi vel plane conticuit, vel nullam auctoritatem nacta est; donec tandem a Lycurgo Lacedaemonio in popularem gyrum magis detorqueri coepit. Eam ab Heraclidarum reditu ad Lycurgi aetatem plane ignotam fuisse in Graecia, parum videtur probabile esse; quum unaquaeque urbs Graecorum in Asia minori cum metropoli navigatione et mercatura satis esset conjuncta; quum primitias et sacrificia illuc quotannis mitteret; quum utraque iisdem numorum symbolis uteretur; ut alia conjunctionis documenta nunc omittam [59]). Orphica poesis, quae numquam eo nomine, quo epica, ad populi delectationem unice comparata, vulgaris facta est, usque ad olympiadum initia plane ignota fuisse videtur in illis coloniis; utpote

---

leorum seculorum barbariem reductam esse dicunt (ut Heyne, Commentt. Gotting. T. 14. p. 128., Clavier. pr. Gr. temp. T. 1. p. 75., Thiersch. de Hes. p. 44., Meier-Marx, Ephori Fr. p. 57.). Barbaries nulla reducta est; quamvis multa turbata et temere mista sunt. Deinde Herculis barbaries et horridus cultus ex seriorum poetarum ingenio profectus est (τοῖς μεθ' Ἡσίοδον καὶ Ὅμηρον), qui illum procedere jubebant ut latronem, clavam manu tenentem, et leonina pelle cinctum; cujus mutationis auctores Pisander et Stesichorus perhibentur (Megaclides, Heraclidi Pontico fere aequalis, de Homero, ap. Athen. 12. p. 512. f., Eratosth. catast. 12., Strab. 15. p. 688., Voss. Epist. mythol. T. 2. p. 262 sq. Fr. Schlegel. Gr. poes. hist. p. 201.). Verus Hercules iisdem erat moribus, iisdemque armis indutus, atque heroës apud Homerum.

59) De perpetua hac conjunctione vel unus Thucydidis locus (1, 13. cf. Heeren. p. 155.) sufficiet. De sacrificiis aliisque rebus, a coloniis ad metropoles missis, vid. Thucyd. 1, 25. 24. De communibus numorum symbolis vid. Spanhem. de usu et praest. num. p. 568., cf. Hegewisch. de coloniis Gr. p. 162 sq. — Itaque non satis mirari possum, quomodo Fr. Thierschius (de Hes. p. 43.), et Val. Franckius (de Callino p. 96.) induci potuerint, ut omnem inter Graecos Europaeos et Asiaticos conjunctionem tollerent. Thierschius profecto pronuntiare non dubitavit, Graecis in bello cum Persis vix notam fuisse viam in Asiam minorem. Franckio contradixit Car. Schoenemannus (de Mimnermo p. 6.); sed ejus rationes nihil valent.

quae mirum in modum ab hujus populi, ad hilaritatem semper proclivis, moribus abhorreret. Tantopere ibi obscurata erat Homeri etiam temporibus, ut ne nomen quidem Orphei aliorumque poetarum, qui in eodem poesis genere versati erant, ibi notum fuisse videatur. Floruit in ipsa antiqua Graecia, sacerdotum memoria, quamvis immutata subinde, servata. Hic enim maximo semper honore gaudebat Orphei nomen; in Boeotia in primis, quae terra inde ab antiquissimis temporibus multifariis Deorum religionibus impleta erat, et in Attica. Probant hoc vetustorum poetarum laudes, quibus illud extollunt, Aeschyli et Pindari [60]), aliorumque. Qui vetustiora testimonia requirit, is reputet velim, vetustiores poetas omnino non superesse; qui si adhuc exstarent, magis etiam nostram confirmaturi essent sententiam. Itaque in tam ingenti antiquiorum carminum jactura, his paucis testimoniis quivis contentus esse et potest et debet.

Haud exigui momenti in Orphicae poesis historia obscura illa fama de Orpheo, apud Lesbios insigniter culto, aestimanda est [61]). Quae unde re-

60) Antiquissimum de Orpheo testimonium est Ibyci Rhegini (apud Priscian. comment. grammat. 6. p. 211. ed. Bas. 1545.; cf. Schellenberg. de Antim. Col. p. 56.), qui prius floruit, quam ullus Onomacritus, et quam Pythagorae nomen inter antiquos Graecos innotuisset. Itaque tempus, a quo Orphei fictitiam personam vulgo derivant, protinus sublatum est. Vocavit autem Ibycus Orpheum ὀνομάκλυτον; sicuti Pindarus *Thebanus* (Pyth. 4, 315. (177. Boeckh.) eundem εὐαίνητον appellat, et, memorabili profecto epitheto, χρυσάορα (ap. Schol. Venet. ad Il. 15, 256. coll. Schol. Vict. Heyne ad Hom. T. 5. p. 712. Fr. Pind. 187. p. 654. Boeckh.), quod ei commune est cum Apolline et Cerere (Mitscherlich. ad Hymn. in Cer. 15.). Omnino pluries Pindarum Orphei mentionem fecisse, colligimus e Schol. ad. Pyth. 4., 315. p. 654. B. — Deinde Aeschylus *Eleusinius*, Agam. 1629. et ap. Aristoph. Ran. 1061. Tum Euripides *Atheniensis*, Alc. 361. 990. Bacch. 562. Iphig. Aulid. 1221. Hippol. 965. Med. 542. Cycl. 646. Rhes. 946. Sten. fr. 5. — Hi poetae in sanctae Eleusidis vicinia vivebant: itaque iis praecipue Orpheus memoratus.

61) Cum his conferenda sunt, quae supra p. 14 sq. de Terpandro disputavimus; cf. etiam O. Mueller. Orchom. p. 387. 388.

petenda et quomodo explicanda sit, celebratissima antiquitatis fabula, ex qua aliquod saltem historiae vestigium exsculpere licebit, satis clare indicat. Lacerati Orphei caput cum lyra in mare dejectum ad Lesbum insulam delatum esse narrant [62]). Nonne hoc significat, poesin Orphicam in Lesbum aliquando transiisse, vel ibi certe notam fuisse? Meministine, Aeolicae coloniae partem Boeotiae incolis constitisse (ejusdem terrae, ubi Orphicam poesin olim floruisse oportet), et in insula Lesbo resedisse, quam hinc Aeolicam vocatam esse constat? Quid? quod in eadem insula antiquissimum Orphei oraculum consulebatur. Quid? quod Lesbiorum numi Orphei capite et lyra signati erant. Quid? quod ipsius Orphei lyra in Apollinis templo suspensa esse credebatur. Quid? quod Orpheo publica monumenta posita sunt [63]). — Haec omnia si cui seriorum temporum

[62]) Phanoclis Καλοὶ ἢ ἔρωτες ap. Stob. 62. p. 399. Ruhnken. Ep. Crit. II. p. 299. Nicomach. harmon. enchir. 2. p. 29. Meib. Lucian. ad indoc. p. 215. ed. Bip. Philostrat. Vit. Apollon. 4, 14. p. 151. Heroic. 5, 3. p. 703. Olear. cf. 10, 7. Eustath. ad Dionys. Perieg. 536. Hygin. P. A. 2, 7. p. 440. Stav. Ovid. Met. 11, 54. Copiosus est de hac re Brucker. in Vindelico Otio Melet. 3. p. 241., ut alios omittam. — Orphei lyram usque ad Lyrnessum, Troadis urbem, fluctibus delatam esse, indeque maritima saxa vocalia facta, Philostrati ingenio facile largimur (10. p. 713., ubi Olearius aliquid commisit).

[63]) De Orphei capitis oraculo testes afferri possunt omnes fere, quos modo laudavimus scriptores. Aliud tradit Plutarchus (de fluv. p. 1149. d.). Lepidam fabellam de Orphei sepulcro Lesbio Antigonus Carystius narrat, auctore Myrsilo Lesbio, qui Λεσβιακὰ scripsit (de hoc vid. Voss. hist. Gr. 3. p. 391.): τῆς Ἀντισσαίας, ἐν ᾗ τόπῳ μυθολογεῖται καὶ δείκνυται δὲ ὁ τάφος ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων τῆς τοῦ Ὀρφέως κεφαλῆς, τὰς ἀηδόνας εἶναι εὐφωνοτέρας τῶν ἄλλων. Mirab. 5. p. 9. ibiq. Beckmann. — Si qua adhibita est in isto oraculo fraus, non est Orphei culpa; fraudem ostendit Van Dale (de Orac. diss. II. p. 293.), quam inepte diluere studet Baltus (historia de silent. Oracul. pag. P. 2. p. 78.). Ejusdem oraculi auctoritatem aliquando satis magnam fuisse, vel inde patet, quod Cyrus Babylone misisse narratur, qui id consulerent; indeque responsum tulisse τὰ ἐμὰ, ὦ Κῦρε, σά (Philostrat. l. l.). — Oraculi nomen erat Βακχικὸν, et Luciani temporibus adhuc exstabat (ad indoc. p. 215, ed. Bip.). — Orphei caput, vitta cinctum, in multis olim Antissaeorum numis conspiciebatur (Theo ad Arat. Phaenom. 268. v. Beck-

esse videntur (et videbuntur haud dubie iis, qui ultra Homerum suum prospicere non possunt); ab eo exspecto, ut singulis momentis rationes

---

mann. ad Antig. Caryst. l. l.). Orphei lyram, quatuor chordis instructam, Mitylenaeorum et Methymnaeorum numi sibi vindicant (Eckhel. doctr. num. T. 2. p. 502. Boeckh. oeconom. civil. Athen. T. 2. p. 285.). Lyram, ex auro eboreque confectam, Methymnaei olim donarium Athenas miserunt (Inscriptio ante Ol. 94. composita ap. Stuart. antiquitt. Athen. T. 2. p. 15. Visconti nr. 45. p. 156. Boeckh. l. l. p. 275. tab. VI.). Ipsius Orphei lyra, cujus heres Terpander perhibetur (vid. sup. p. 16.), usque ad Neanthi, Pittaci tyranni filii, tempora in Apollinis templo servata esse dicitur. Is autem, ejus habendae desiderio flagrans, corrupto sacerdote, ea potitus est. Quum vero esset rudis et ineruditus adolescens, neque lyra uti calleret, noctu in viam publicam progressus chordas confundebat inconditeque tractabat; qua re vicini canes exciti, et tantopere exacerbati sunt, ut Neanthum infelicem citharoedum discerperent (Lucian. l. l.). — Apud Libethrios ingens tumulus erat, sub quo Orphei ossa condita credebantur (Apollod. 1, 3, 2. Pausan. 9, 30, 3. 4. Strabo epit. VII. p. 479. Oxon. Eratosth. catast. 24. p. 19. Schaub. Hygin. P. A. 2, 7. p. 440. Stav. Idem tumulus hodienum conspicitur; v. Clarke's Travels P. 2, 2. p. 311 - 315. Ritter. Vorhalle p. 251.). Ibidem in exstructa quadam columna posita olim erat urna lapidea, Orphei cineres continens (Pausan. 9, 30, 3.). Avulsum Orphei caput eosdem Libethrios sepulturae mandavisse, et ἱερὸν, templo circumdatum, Orpheo consecrasse, mulieribus non adeundum, Conon narrat (45. ap. Phot. 186. p. 233. Hoesch. Hoc tamen sepulcrum nihil fortasse differt a superiore; nam Conon addit ὑπὸ σήματι μεγάλῳ θάπτουσιν). Illos vero tumulos monumenta omnium antiquissima, et pluribus gentibus communia esse, in vulgus notum (Strab. 14. p. 625. Lechevalier. descript. agri Troj. p. 18. 23. 129. 156. 179. 213. Heyne. Zoëga de Obelisc. p. 337 - 342. 652. Clarke's Trav. p. 329. 344. 376.). Fuit etiam Libethriae Orphei simulacrum, ex cupresso confectum (ξόανον, quod genus quam antiquum sit, Siebelis docet, in Praef. ad Paus. p. XLIII.), quod Alexandri Magni temporibus sudasse traditur (Plut. Alex. 14. T. 4. p. 32. Reisk.). Aristander, huic prodigio explicando adhibitus, bene ac fauste Alexandro portendere dixit; fore enim, ut poetae sudarent in praeclaris Alexandri rebus gestis describendis (Arrian. exped. Al. 1, 11.). — Caeterum eandem fabulam, quam a Myrsilo de Lesbio Orphei sepulcro relatam vidimus, ipsi Libethrii sibi vindicabant: Λέγουσι δὲ, αἳ τῶν ἀηδόνων ἔχουσι νεοσσιὰς ἐπὶ τῷ τάφῳ τοῦ Ὀρφέως, ταύτας ἥδιον καὶ μεῖζόν τι ᾄδειν (Pausan. l. l.). Quae res hoc saltem probat, jam veteres pro varia locorum ratione diversitatem aliquam in cantu avium animadvertisse. — Deinde in aliis quoque Graeciae regionibus Orpheo signa sunt posita. Philostratus (Imagg. 6. p. 870.) et Callistratus (stat. 7. p. 898.) Orpheum in opaco Heliconis nemore propter Olmei fluenta constitutum esse perhibent; eique

et argumenta opponat, neque simpliciter neget, ut plerumque fieri solet: alioquin enim et ego simpliciter affirmabo, nihil illorum seculo nono inferiora esse. — Verumtamen poesis Orphica etiamsi aliquando in Lesbo innotuit, non poterat tamen in nova patria eadem manere. Terpander eam quidem immitatus esse dicitur, sed non propagasse: etsi is adhuc cum Arione propius ad antiquam Orphei poesin accessit, quippe qui simili modo Deorum laudes celebraret; sed brevi tempore eadem poesis ad amores, et ad amantium desideria, blandimenta, et dulces querimonias traducta est. Quis enim non novit Alcaeum, Sappho, Erinnam, poetrias Lesbias? Cuinam non maxime memorabilis videtur antiquissima inter Graecos fama, qua Lesbii ideo poesis et musices peritissimi evasisse traduntur, quoniam divini Orphei vel caput vel lyram sepulturae mandaverint? Suavissime Phanocles Demostheni fere aequalis:

Ἐν τε χέλυν τύμβῳ λιγυρὴν θέσαν, ἣ καὶ ἀναύδους
πέτρας, καὶ Φόρκου στυγνὸν ἔπειθεν ὕδωρ.
Ἐκ κείνου μολπαί τε καὶ ἱμερτὴ κιθαριστὺς
νῆσον ἔχει· πασέων τ' ἔστιν ἀοιδοτάτη [64]).

τελετὴν adstitisse, et haud procul Bacchi simulacrum, Pausanias refert (9, 30. 3. cf. de his Voss. Epist. mythol. T. 2. p. 52., Creuzer. Symbol. T. 3. p. 413. (433.), O. Mueller. Orchom. p. 383.). — Orpheus cum omni comitatu conspicitur in vetusto monumento apud Montfaucon. Supplem. Antiqq. T. 1. tab. 81. cf. Pierres du Duc d'Orleans T. 2. fol. 1. Orphei figuram in nummo exhibet Gronovius ad Melam. II, 2. De aliis Orphei imaginibus vid. Pausan. 10, 30, 2., qui statuam Delphis positam, Graeco, non Thracio habitu, memorat; Lucian. Imagg. 14. T. 2. p. 472., Palaephat. fab. 34. ibiq. interprett.; Gisber. Cuper. de eleph. in nummis, 1, 3. p. 36. in Salleng. Thes. T. 1., Polydor. Vergil. de rer. invent. 1, 14., Aringhii Roma T. 1. p. 317. 321., Maffei gem. antiq. P. 2. tab. 49. Lippert. Dactylioth. Millen. II, 56 sq. Winkelmann. monum. antiq. n. 50. p. 63.

64) Phanocl. 21. ap. Stob. 62. p. 399. Ruhnken. ep. crit. II. p. 299. cf. Voyage du jeune Anachars. T. 2. p. 55 sq. Welcker. Sappho. p. 62. Boettiger in Wielandi Mus. Att. 1. p. 333. O. Mueller. Orchom. p. 387. — Simili modo eruenda est historia ex antiqua

De ipsis his et similibus fabulis in alterutram partem quidquam decernere nolumus; sed vix, ut opinor, errabimus, si sub earum involucris antiquam memoriam, de poesi Orphica, cum Boeotis Aeoliis in Lesbum olim transmigrata ibique ad alias res traducta, detexisse nobis visi sumus. Quae in antiqua Graecia servata est Orphica poesis, ea et ipsa subinde mutabatur; sed numquam a sancto Deorum cultu recessit. At sicuti plurima illius aetatis usque ad Pisistratidarum aevum obscurissima sunt, ita de Orphica etiam poesi nihil amplius inaudimus. Est autem facile intellectu, quomodo per tam longinquum temporis spatium horum carminum numerus augeri et potuerit, et auctus sit; non sine insigni profecto sententiarum Orphicarum detrimento; in primis ex quo philosophiae studium ad certam disciplinam revocatum esset, auctoribus Thalete, Anaximandro, Anaximene; quos decreta sua ex antiquis Orphei cosmogoniis petiisse, et suo quemque modo tractasse constat.

XXI.

Pisistratus cum utroque filio, Hipparcho et Hippia, ut Atheniensium civitatem, a Solone saluberrimis legibus constitutam, saluberrima tyrannide conservarunt et propagarunt; ita iidem magnam apud posteros sibi compararunt nominis famam, quod vetusta Graecorum carmina, quae adhuc solius memoriae fidei erant credita, litteris consignanda curaverint [65]).

---

antiqua Sicyoniorum fama (ap. Pausan. 2, 7, 8.), de Marsyae tibiis in Maeandrum conjectis, deinde maris fluctibus in Aesopum delatis, et in Sicyonia a pastore repertis Apollinique traditis.

[65]) Pisistrati Pisistratidarumque aevum incidit in an. 560-510; quod colligo ex his locis inter se comparatis: Mar. Par. l. 56. 59. 60. p. 26. Chandl. Plutarch. Solon. p. 97. a. Aristot. Resp. 5, 12. p. 411. Cas. Herod. 1, 61. 62. 5, 55. Thucyd. 6, 59. Plat. Hipparch. p. 229. b. cf. Petav. et Corsin. Fast. Att. T. 3. p. 94 sq.

Obscuratum quidem hodie ac paene oblitteratum est insigne illud meritum; et admodum nuper demum de unius Homeri carminibus gravissimis argumentis comprobatum [66]). At praeter hosce suavissimos Jonici ingenii flores, ingens copia vel aequalium, vel supparis aevi carminum erat, quae simili modo memoria custode ad illa tempora pervenisse oportet. Quot exstabant epici generis carmina, quae clarissimum Homeri nomen mentiebantur? Cypria dico, Epigonos, Iliadem parvam, Phocaidem, Amazonia, Siciliae expugnationem, *Νόστους*; et, quae ludicri argumenti fuerunt, *Ἀραχνομαχίαν*, *Γερανομαχίαν*, *Παίγνια*, *Ἐπικιχλίδας*, *Κέρκωπας*, *Κεραμίδα*, *Ἡθίπακτον*, *Μαργίτην*. Quantus erat proventus carminum, quae Hesiodi nobile nomen prae se ferebant? *Καταλόγους γυναικῶν* dico, vel *Ἠοίας μεγάλας*, Melampodiam, Thesei descensum ad inferos, de Chirone, Pelei et Thetidis nuptias. Cui ignotus est ingens cyclicorum poetarum cohors? cui Thebais, Atthis, Naupactica, Orchomenica, Minyas, Phoronis, Alcmaeonis, Aegimius, Eumolpia, Europia, et magna aliorum carminum turba? Quae omnia, nisi ipsorum Pisistratidarum cura, tamen iisdem, vel proxime sequentibus, temporibus, quibus ingeniosissima gens eam artem primum didicit, cujus ignorantiae ineptissimum quemque hodie pudet, litteris perscripta sunt, et ita pleraque propagata ad docta Alexandrina secula. Alia quidem jam ante hoc aevum, quum prae Iliadis et Odysseae splendore minoris fierent, interciderunt: reliqua, quum in canonem Alexandrinum non recepta essent, ideoque nonnisi a perpaucis legerentur, mox evanuerunt; ita ut Strabonis et Pausaniae aetate pauca tantum fragmina, a superioribus scriptoribus servata, superessent: quo factum est, ut eadem carmina a scholiastis, qui ad nos pervenerunt, ex aliorum tantum scriptis citentur.

---

66) Wolf. Prolegg. p. CXLII - CLX.; in cujus rationibus nunc acquiescimus omnes. Singulae quaedam secus sentientium voces hic non audiuntur.

Verum enimvero de his frustra quaesiveris historiam, quippe quae in similibus etiam rebus silere soleat. Ne tantillum quidem nobis tradidit, quando ista carmina litteris mandata sint. Quod mirificum profecto silentium minus fortasse mirabimur, quum reputaverimus, omnibus serioris aevi Graecis, paucissimis exceptis, persuasum fuisse, quidquid carminis umquam exstiterit, statim ab initio scriptum esse; quam laudem ne celebratissimo quidem Homero suo detrahere ausi sunt, si ab uno Josepho, et alio quodam grammatico discesseris [67].

Itaque multo prosperior sors Orphicorum carminum historiae evenit; de quibus multa, etsi satis obscura, exstant testimonia, 1. fuisse ea non scripta ab initio, sed hominum memoria propagata; 2. pervenisse eadem usque ad Pisistratidarum aevum; et 3. collecta esse eodem tempore a Pherecyde Atheniensi, atque disposita et una cum Musaei carminibus interpolata ab Onomacrito Atheniensi. Quod postremum in primis teneri velim; quandoquidem de Homeri carminibus ne unius quidem dispositoris nomen ad nostram pervenit notitiam. — Primum illud liquide patet ex iis, quae Theodosius grammaticus [68]), aliique ex vetustioribus haud dubie referunt scriptoribus; ac, etiamsi a nemine traditum esset, plerosque tamen in hac re hodie consentire puto. Secundum et tertium [69]), a serio-

---

[67]) Josephus c. Apion. 1, 2. Schol. ad Il. 5, 461. v. Wolf. l. l.

[68]) Apud Becker. Anecd. Gr. T. 2. p. 785., quem locum integrum dedimus supra p. 52.

[69]) Referunt Suidas (v. supra p. 25.), Sextus Empir. Pyrrhon. hypotyp. 3, 30. adv. Mathem. 7, 362. De Musaeo v. Herodot. 7, 6. Pausan. 10, 12, 6. coll. 1, 22, 7. Clem. Alex. Str. 1. p. 397. Itaque falsa sunt, quae Meiners. opinatur (de vero deo p. 190 sq.) et Gerlach. (de hymn. Orph. p. 11.). Quid Rochefortii Moschus) (fortasse Musaeus) sibi velit (Mém. de l'Academ. T. 36. p. 117.), nondum assequutus sum.

ribus Graeculis pessime intellectum [70]), Onomacrito vati insignem laudem confecit, ut omnium carminum Orphicorum compositionem vulgo ab eo repeterent [71]). Haec enim poesis, quae numquam in populi ore viguit, omnigenis fraudibus et interpolationibus magis erat exposita, quam epica, quae a doctis pariter atque indoctis saepissime publica rhapsodorum recitatione auribus percipiebatur; etsi, haud nego, post Pisistratidarum etiam curam, epicis carminibus perscriptis impensam, et sub Homeri et sub Hesiodi claris nominibus quum nova carmina confecta, tum ea, quae jam exstabant, novo modo interpolata esse [72]). Sed magis etiam nostram de Orphica poesi, eruditioribus tantum hominibus nota, sententiam confirmat, quod nullibi de Orphicis rhapsodis et *διασκευασταῖς* quidquam memoratum reperimus. Si qui fuissent, tenue saltem hujus rei vestigium

[70]) Contortas explicationes vid. sup. p. 48. Stultus hic error inde fortasse derivandus est, quod, quum isti a vetustioribus scriptoribus relatum vel vidissent vel audivissent, Onomacritum, Hipparchi jussu, Orphei Musaeique carmina ex hominum ore excepisse, litteris mandasse, ac deinde disposuisse et interpolasse, non capere poterant, quomodo illa absque litteris servata sint. Itaque fingebant sibi nescio quas prosaicas sententias, ab ipso Orpheo perscriptas, et post longum seculorum intervallum ab Onomacrito ad metra revocatas. Neque indigna est ejusmodi opinio istius generis hominum ingenio: quippe qui alia multa delirarunt, et Pythagoram fecerunt genuinum Orphei discipulum, qui a divini hominis et mirandi philosophi ore semper pependerit: et Aristarchum cum pluribus aliis grammaticis Homeri carmina Pisistrati temporibus digerere jusserunt; et quae sunt alia perversissimi judicii documenta.

[71]) Sextus Empir. ll. ll. Tatian. adv. Gr. 62. p. 136. Euseb. Praep. ev. 10, 4. p. 495. Suidas T. 2. p. 719.

[72]) De singulis Iliadis et Odysseae partibus multa sunt hujus rei apud veteres scriptores vestigia; et interna etiam argumenta afferri possunt. — Quid? quod iisdem auctoribus, qui vetustis poetis epica carmina subposuerunt, Orphicorum quoque carminum nova compositio tribuitur. Cercops saltem Milesius et Orphica scripsit (Cic. de N. D. 1, 38. Suid. T. 2. p. 719.), et sub Hesiodi nomine Aegimium vulgavit (Athen. II. p. 503. d. 13. p. 557. de quo carmine vid. Valesium, Emendatt. 1, 32. Burm. Fabric. Bibl. Gr. T. 1. p. 592. Harless. O. Mueller. Dor. 1. p. 28.), et alia multa in his rebus peccavit.

adhuc exstaret. At ne quis hac sententia inducatur, ut censeat, Orphicam poesin, mysteriorum claustris absconditam, nonnisi ad initiatorum cognitionem pervenisse, saltem ex quo respublicae per Graeciam ortae sint [73]); hic statim monendum est, nullum omnino carmen in solius disciplinae arcani usum compositum umquam fuisse; et praeter symbolicas quasdam actiones et dramaticas repraesentationes, paucissima tantum dogmata in mysteriis Graecorum fuisse arcana. Sed haec explicabimus infra.

De Onomacriti, qui et ipse poeta fuit et famosus vates, insignibus antiquiorum carminum, Orphei Musaeique, interpolationibus, inde ab Herodoto plena est tota antiquitas. Cujus quidem fraudis, a Laso Hermionensi, poeta lyrico, quem Pindari magistrum quidam tradunt, convictus, justissimas subiit poenas, ab Hipparcho, antea sibi amico, in exilium expulsus [74]): sed actum erat de omnium, quae interpolasse credebatur, car-

---

73) Factum hoc est inde a seculo nono ante Chr; non prius: nam satis, ut opinor, explosa est opinio Gogueti (P. 3. p. 411.) aliorumque, qui ante Doriensium descensum respublicas in ipsa Graecia quaesiverunt.

74) Rem narrat Herodot. 7, 6. — De Laso, Chabrini filio (Suid. v. Λάσος Schol. ad Aristoph. Vesp. 1402. Tzetz. Chil. 5, 117.), qui dithyrambum primus in certamina musica invexit (Clem. Alex. Str. 1. p. 317., Aelian. V. H. 5, 7., Hist. An. 4, 7., Tzetz. introd. in Lycoph.); qui antiquae musicae simplicitatem, novis et dissipatis sonis inductis, corrupit (πλείοσί τε φθόγγοις καὶ διεῤῥιμμένοις χρησάμενος, Plut. de mus. p. 1141. b.); et qui in septem sapientum numero etiam habitus est, suffecto ejus nomine in Periandri locum; jam antiquitus egit Chamaeleon Heracleotes in libro, quem de celebrium virorum historia scripserat (Athen. 8. p. 338. b.). Quod opus sub diversissimis titulis a Diogene Laertio, qui multa inde hausit, et ab aliis scriptoribus laudatur. Ex eodem opere Suidas (T. 3. p. 315.), et Eudocia (p. 383.) sua de Simonide derivarunt (v. Ducker. de Simonide p. 17., Jacobs. Mus. Att. T. 4, 2. p. 83.). Lasum praeclarum musicum fuisse Theon Smyrnaeus (2. 12. cf. Clearch. ap. Athen. 10. p. 455. d. 7. p. 305. f.) testatur. Idem Lasus primus odas scripsisse dicitur ἀσιγματώδεις (Demetrius περὶ ἑρμηνείας ap. Athen. l. l.), unam, cui nomen Centauri; aliam εἰς τὴν Δήμητρα τὴν ἐν Ἑρμιόνῃ, cujus initium ex Heraclidis Pontici libro de musica Athenaeus affert 14. p. 624. e.:

Δάματρα μέλπω κόραν τε Κλυμένοιο ἄλοχον Μελίβοιαν,
ὕμνον ἀνάγων Αἰολίδ' βαρύβρομον ἁρμονίαν.

minum auctoritate; ita ut Musaei oracula, antea saepius in rebus dubiis consulta, quia fraus illius nimis erat manifesta, in posterum non amplius adhiberentur, sed sensim sensimque oblivioni mandarentur. — Praeter Onomacritum alii celebriores poetae amicitia et favore Pisistratidarum usi sunt; et magnopere optandum esset, ut accuratior docti illius sodalitii notitia ad nos pervenisset. Verumtamen hoc semper magis nobis persuadebimus, ubicunque Pisistrati sodales et amici, viri sapientes et intelligentes et boni critici, apud veteres memorentur [75]), nonnisi de poetis illis cogitari posse; Anacreontem Teïum dico, Simonidem Ceum, Orpheum Crotoniatem [76]); quibus fortasse addendus est Lasus, et multi alii, de

Caeterum duplex in primis error, quem ex intestabilibus auctoribus repetierunt recentiores (ut Gyrald. Op. T. 2. p. 446. f., et Gerh. Voss. de nat. art. 3, 57, 1. T. 3, 3. p. 179. a. cf. de poet. Gr. 4. T. 3, 2. p. 204. b.; et hinc alii multi), hic notandus est: alter, qui Lasum de musica primum scripsisse prodit; qualis scriptio in illam aetatem cadere omnino non potest; et tribuenda fortasse est Laso Magnesio, homini multo juniori: alter, qui Lasum dithyramborum inventorem facit; sed haec laus Arioni, multo antiquiori poetae, debetur (Herodot. 1, 23. Confundit haec Borrich. de poet. p. 26.). — Lasum cyclicos choros primum constituisse qui inter veteres tradiderunt (ut Antipater et Euphronius ap. Schol. ad Aristoph. av. 513.), simili errore tenentur; et refelluntur ab antiquioribus auctoribus, Hellanico (ἐν τοῖς Κραναϊκοῖς) et Dicaearcho (περὶ Διονυσιακῶν, ap. Schol. Aristoph. l.), qui eandem rem Arioni vindicant. (cf. Aristot. ap. Procl. in Phot. 239.).

[75]) In disponendis Homeri carminibus Pisistrati ἑταῖροι laudantur (Pausan. 7, 26. 5.); ἄνδρες λογικοὶ καὶ κριταὶ (Diomed. gram. ap. Villoison. Anecd. Gr. T. 2. p. 183.); ἄνθρωποι σοφοὶ καὶ ἐπιστήμονες (Schol. Vollois. ad H. 5, 461.). Poetas fuisse jam Zoega suspicatus est (Diss. p. 313.); qui tamen male cogitat de confectis carminum ἀπογραφαῖς antiquiorum exemplorum; ut Hug. etiam, de litter. inv. p. 49. Isti posteriores grammatici antiquam famam sequuti esse videntur; quam vero ita interpretati sunt, ut, quum nullum nomen allatum vidissent, nec quidquam nobilius suo grammaticorum ordine nossent, curam illam Aristarcho, Zenodoto, et septuaginta aliis grammaticis mandarent, ingenti profecto ignorantia.

[76]) Anacreonti, qui antea Polycrate Samio familiarissime usus erat, Hipparchus navem, quinquaginta remis instructam, obviam misit Athenas profecturo; et cum eo deinde amicitias junxit. Simonidem vero semper secum habebat et apud se, splendidis

quibus historia tacet: nam magnum poetarum proventum illa aetas tulerat, lyricorum in primis et ethicorum. Desinemus igitur aliquando mirari, quomodo, quum singulae Iliadis et Odysseae rhapsodiae antea per se exstiterint, artificiosissima duorum perfectissimorum operum compositio et arctissima compages inde oriri potuerit; quae profecto dignissima est tam excellentium poetarum ingeniis.

Praeter haec recensetur Pisistratus inter antiquissimos bibliothecarum conditores, Polycratem Samium, Euclidem archontem [77]), Nicocratem Cyprium, Pergami reges, Euripidem, Aristotelem, ejusque heredem Neleum [78]). Ne vero de Pisistrati suppellectile libraria nimis magnificas concipiamus notiones, paucitas librorum, qui illa aetate scripti exstare poterant, prohibet; sed erat tamen aliquo certe nomine digna. Etenim

---

donis et conditionibus oblatis (Plat. Hipparch. p. 228. c. Aelian. V. H. 8, 2. Meiners. hist. doctr. Gr. T. 1. p. 50. Jacobs. in Wielandi Mus. Att. T. 4, 2. p. 84.). Horum poetarum divinis ingeniis Atheniensium mores conformare studebat. Ipse columnas etiam in urbis compitis erigendas curavit, quibus breves quasdam sententias et praecepta morum, elegis versibus inclusa, insculpi jussit (ἱππάρχειοι Ἑρμαῖ Plat. l. l. Meurs. Att. Lect. 5, 7. Pisistrat. 12.). Gratissima erat Graecis saluberrimae hujus tyrannidis memoria; ita ut ad illa tempora auream Atheniensium aetatem referrent (ἔζων Ἀθηναῖοι ὥσπερ ἐπὶ Κρόνου βασιλεύοντος Plato l. l. p. 229. c.). — Anacreon et Simonides apud eundem Hipparchum arctissimum amicitiae vinculum junxerunt; quam hic duobus epitaphiis celebravit (Anal. ep. 54. 55., quae imitatus est Antipater Sidon. Anal. T. 2. p. 25. ep. 72. et p. 26. ep. 77.). — De Orpheo Crotoniate, quem alii pro Onomacrito, alii pro Pythagora, alii denique pro vetusto Argonauticorum scriptore habuerunt (Voss. de poet. Gr. 4. T. 3, 2. p. 406., de Idolatr. 1, 39. Barre. Mém. de l'Acad. T. 16. p. 23. Lambec. prodr. p. 175. Wolf. Prol. ad Hom. p. CLV. CCXLVII.), testatur Suidas T. 2. p. 719.

77) De eo notissimum erat inter Graecos proverbium πρὸ Εὐκλείδου, vel ὑπὲρ Εὐκλείδου; vid. quae Fabric. B. Gr. T. 2. p. 368. congessit.

78) Strabo 13. p. 608. sqq. Plutarch. Sulla p. 468. Diog. L. 5, 52. — De omnibus his librorum amatoribus v. Athen. 1. p. 3. a. b.; de Pisistrato Gell. 6, 17. — De fabulosa Smyrnaea bibliotheca, et Homerea v. Strabo. 14. p. 646. cf. Wolf. Prolegg. p. CXLV. Schweigh. ad Athen. Animadvv. T. 1. p. 488.

praeter Homeri Hesiodique carmina et ἀναμφίλεκτα et ἀμφισβήτητα, quorum haud exiguus numerus in tenebricoso isto Homero suppari aevo et sequentibus aetatibus vulgatus erat; et praeter Orphei Musaeique interpolatam poesin, huc referendus est omnium cyclicorum aliorumque epicorum poetarum, adde etiam hymnographorum, cohors; omnis et superioris, et Pisistrato Pisistratidisque aequalis aevi lyricorum canticorum turba. Quae Stesichori enim, et Melanippidae, et Ibyci Theognidisque, Phocylidis, Anacreontis et Simonidis divina ingenia meditata sunt, non amplius antiqua Mnemosyne, sed novitia papyracea Musa sibi vindicat.

Pythagoram, cujus flos in eadem, ac Pisistrati Pisistratidarumque, tempora incidit [79]), multosque ejus asseclas, Cercopem, Brontinum, et, de quibus incertior res est, num ad Pythagorae scholam referendi sint, nec ne, Prodicum Chium, Zopyrum Heracleotem, Theognetum Thessalum, Timoclem Syracusanum, Perginum Milesium; Niciam Eleatem, Herodicum Perinthium, aliosque, varia carmina Orphica composuisse, antiqua erat inter Graecos fama [80]). Antiquiores scholae Jonicae philosophos, Thaletem, Anaximandrum, Anaximenem, simplicem et incorruptam Orphei

79) Ante Chr. 540-500. Crotonem venit, ibique nobile illud foedus condidit 540. (v. Meiners. hist. discipl. Gr. T. 1. p. 315. Heeren. Ideen. T. 3, 1. p. 433. (428.), Saxium Onomast. 1. p. 27., et quos laudat Harless. ad Fabric. T. 1. p. 750 sqq.; non audiendus est Larcher. Herodot. T. 7. p. 551.), quod procul dubio dissipatum est eversa Crotone (circa 500. Justin. 20, 4. Porphyr. vit. Pythag. p. 51.; Jablonski Panth. Aegyp. 1. 2. p. 43., Freret. Mem. de l'Acad. T. 23. p. 261 sq., Gail. de cultu Bacchi p. 98.); Cylonis enim factione democratica (598.) id fieri non poterat; quo tempore Pythagoras nondum natus erat.

80) Singuli passim laudati sunt a viris doctis; in primis ab iis, qui carminum Orphicorum catalogos confecerunt, ut a Gyraldo (T. 2: p. 68 sqq.), Vossio (de poet. Gr. 13. 3. T. 3, 3. p. 30 sqq.), Eschenbachio, Lambecio (Prodrom. p. 175-178.), Fabricio (T. 1. p. 151 sqq. Harl.), et Tiedemanno (p. 42 sqq.).

phei disciplinam sectatos esse, et ex parte etiam depravasse, sollerte et diligente comparatione inter ea, quae probati auctores de illis, et quae de hoc tradunt, demonstrari potest [81]); etsi diserta veterum testimonia nobis desunt. Certius de Heraclito loquuntur seriores Graeci, quem Orphicam disciplinam quum accepisse tum excoluisse ferunt. Hujus opinionis fundus apud Platonem vulgo quaeritur. Qui quum forte pronuntiet (Cratyl. p. 402. b.), Heraclitum cum Hesiodo, Homero et Orpheo fluidum quoddam posuisse, ut omnium rerum principium, idque ex etymologia vocis 'Ῥέα (Heracliti στοιχεῖον, a ῥέω) eliciat; tantum abest, ut vim ac robur ista opinio hinc acquirat, ut mirum in modum labefactetur. Etenim si quis inde sequi affirmaret, et multi affirmarunt [82]), Heraclitum ex Orphica disciplina philosophiam suam derivasse, quanto meliore jure contendi possit, eundem philosophum Hesiodea et Homerica decreta sibi vindicasse; siquidem hi poetae primo et primario loco nominantur; Orpheus vero in transcursu tantum. Verumtamen et ego puto, aliquam saltem similitudinem intercessisse inter paucas Orphei et Heracliti sententias: utriusque vero philosophandi rationem diversissimam habeo; similique modo de Pherecyde Syrio statuo. In quibusdam rebus propius ad Orphicam doctrinam accessisse videntur Parmenides et Empedocles, qui Py-

[81]) Ac demonstravit Bouterweckius, (l. l. supra p. 44.) iis potissimum fidens, quae Aristoteles tradidit. Quo autem duce magis fido hic uti licet? —

[82]) Upmark. de Heraclito, p. 17., Lambec. Prodr. p. 17., Sturz. de Pherecyde, p. 61., Creuzer. Stud. T. 1. p. 20 sq. T. 2. p. 229. 266., Harless. ad Fabric. T. 1. p. 154. — Aliter Kannius ad Conon. p. 12., Analect. Philol. p. 39. Schleiermacher. de Heracl. in Wolfii Mus. Antiq. Stud. T. I. p. 350 sqq. — Clarius Clemens Alex. (Strom. 752. (629.)) quidem testatur, σιωπῶ Ἡράκλειτον τὸν Ἐφέσιον, ὃς παρ' Ὀρφέως τὰ πλεῖστα εἴληφεν. At si ejusmodi hominum testimonia in re tam gravi aliquid valent, tum mehercule spes est, nos eo aliquando perventuros, ut Orpheum sua a Mose aliisque Abrahamidis; Homerum sua ab Orpheo, ab Homero alios sua derivasse, et, si Musis placet, *exscripsisse*, eidem auctori accredamus!!

thagorei interdum vocantur [83]); ita ut versus, ab Empedocle compositi, ad Orpheum vulgo referantur, ut:

Ἐν θήρεσσι λέοντες ὀρειλεχέες, χαμαιεῦναι,
γίγνονται, δάφναι δ' ἐν δένδρεσιν ἠϋκόμοισιν [84]).

et alii duo, qui aliquid Pythagorici mihi sapere videntur:

Δειλοὶ, πανδείλοὶ, κυάμων ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθαι!
Ἶσον τοὶ κυάμων φαγέειν κεφαλάς τε τοκήων [85]).

Deinde hoc etiam antiqui illi philosophi cum Orpheo habent commune, ut de rerum origine ejusque causis et rationibus meditarentur, et, qui aliquid litteris mandatum reliquerunt, id inscriberent *περὶ φυσέως* [86]). Hu-

[83]) Strab. 6. initio, auct. vit. Pythag. p. 212. in Porphyrii ed. de abst. Cantabr. 1655., Sotion ap. Diog. L. 9, 3, 1. cf. Fuelleborn. Parm. p. 15. Jons. script. hist. phil. 1. p. 88.

[84]) Orpheo tribuuntur a Schol. in Aphthon. Ms. ap. Gesner. Orph. p. 411.; sub Empedoclis nomine leguntur ap. Aelian. Nat. An. 12, 7. cf. Valkenaer. de Aristob. Jud. p. 85. Hemsterhus. ad Lucian p. 415. — oblitus est Sturz.

[85]) Sub Orphei nomine laudantur a Didymo in Geoponic. 2, 35, 8. p. 182. Niclas.; Empedocli tribuit Gellius 4, 11.; recepit Sturz. vers. 390. p. 652. Similes versus, in Fr. Orphicis vulgo omissos, vid. ap. Gregor. Nazianzen. orat. 33, p. 535.

[86]) Insigne Orphei carmen περὶ φύσεως, sive φυσικὸν, et φυσικὰ, cujus singulae partes saepe laudantur (e. c. περὶ βοτάνων, Plin. 20, 4. (15.) 28, 4. (10.) 25, 2. (6.), Dioscorid. 3, 124.; et aliae multae, quae pro peculiaribus Orphei carminibus vulgo habentur), prius periisse videtur, quam Graeci scribere didicerant. Singulas, et fortasse praecipuas hujus poematis sententias, primis philosophis adhuc notas, restaurarunt, admixtis simul multis suae scholae decretis, primi Pythagorae discipuli, quorum unus Brontinus ab Epigene (ap. Clem. Alex. I. p. 333. cf. Suid. ὀρφεύς. Voss. de art. poet. 13, 3. T. 3. 2. p. 31. Hanou. p. 351. Tiedemann. p. 41.; Onomacritum sine teste laudat Gyrald. T. 2. p. 76. b. cf. Lambec. p. 176.) diserte affertur. Ad plura ejus decreta, quae Orphicae aetatis simplicitate digna sunt, alludit Aristoteles (e. c. de anima 1, 5. p. 485. b. Casaub. ibiq. Simplic. p. 19. b. Wyttenbach. Bibl. Gr. Amstel. T. 2, 2. p. 87., Bouterweck. l. l. p. 4.), Philochorus (ap. Photium p. 443. Siebelis. Fr. p. 11. 12.), et Chrysippus (ap. Plutarch., de Stoic. Repugn. 41. p. 391. Hutt., cf. Stob. ecl. phys. 1, 52. p. 868. 952.), aliique; v. Suidam, Etymol. M., Phavorinum et Harpocrationem vv. Τριτοπάτορες, Tzetz. in Lycophr. T. 2. p. 762. Mueller.; cf. Eschenbach. Epig. p. 150-153., Valke-

jus rei ansam iis praebere poterat antiqua Orphei Musa; a qua, tamquam e carceribus, omnis Graecorum philosophia curriculum, splendidissimum aliquando futurum, auspicata est: quamvis singuli in singulis in diversissimas partes discesserint. Jussus quidem subinde est Orpheus simili, ac Heraclitus, vel majore etiam et verborum et sententiarum obscuritate rerum ortum explicare; ita ut jam inter veteres non deessent, qui tali philosophico acumine et molimine ipsum antiquum Orpheum cecinisse creduli sibi persuaderent: verum haec fraus nullam apud nos habere vim potest; quippe qui probe scimus, quo altius aliquis incorrupti judicii in Graecam antiquitatem ascendat, eo simpliciora omnia ei apparitura esse. Apud diversae indolis gentes, Aegyptios puta, et Indos, rem contra accidisse per me licet: si apud Graecos evenisset, numquam *Graecos* evasuros fuisse certum est. Sed de his viderint, quibus sollertiore acumine humani ingenii progressus metiri contigerit.

Ad Pythagoram revertimur et Pythagoreos. Illum jam Jon Chius, poeta tragicus, testatur quaedam sub Orphei nomine composuisse [87];

naer. de Aristob. p. 67. 76., Hermann. ad Fr. Orph. p. 501., Lobeck. de Tritopat. 2. p. 3. 8., et quae per jocum vere monet Kannius, Panth. p. 571 sq. — Thales, Anaximenes, Anaximander num aliquid περὶ φύσεως scripti reliquerint, admodum dubium est; Pythagoram nihil litteris mandasse, e Luciano (περὶ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος, T. 1. p. 335. Schmieder.) aliisque auctoribus docuit Cuper. Obss. p. 280. Sed nota sunt Xenophanis Colophonii (qui floruit Olymp. 60. v. Fabric. T. 2. p. 614. Harl.), Parmenidis Eleatis (Ol. 69. Diog. L. 9, 23. Fabric. T. 2. p. 621.; vel secundum Fuelleborn. p. 14. Ol. 79.), Heracliti Ephesii (502. ante Chr. Upmark. p. 13.), et Empedoclis Agrigentini (442.) carmina περὶ φύσεως.

87) Ἴων δὲ ὁ Χῖος ἐν τοῖς τριαγμοῖς φησὶν αὐτὸν ἔνια ποιήσαντα ἀνενεγκεῖν εἰς Ὀρφέα. Diog. L. 8, 8. Clem. Alex. 1. p. 333., quod verum putat Souchay. de hym. vet. in Mém. de l'Acad. T. 16. p. 100., Borrich. de poet. p. 7., Tiedemann. p. 34 sq., et Prichard. Analysis of the Egypt. Mythol. (1819.) p. 12. cf. 36 sq. 53. — Sed videndum, ne hoc quoque loco, ut sexcenties alibi, ad Pythagoram translatum sit, quod ejus discipulis debetur. — Caeterum Suidas (v. Ὀρφεύς) et Eudocia (p. 318.) turpissimo errore Jonis

quae qualia fuerint, non liquet. Ac omnino quaecumque de Pythagora, cupido rerum Orphicarum sectatore, narrantur, non ad genuinam Pythagorae philosophiam, sed ad fucatam Pythagoreorum disciplinam spectant, quae, mirum est et incredibile dictu, in quot diversissimas partes distracta sit; non tantum recentiorem dico, sed jam antiquiorem; a cujus asseclis mira sane fabula profecta est, Pythagoram, ab Aglaophemo, mysteriorum Orphicorum apud Libethrios praeside, initiatum, edoctum esse omnem philosophandi rationem, qua posthac tantopere inter Graecos excelluerit [88]); atque ita nihil mentione dignum summo Pythagorae ingenio relinquunt. Jam Herodoti temporibus tanta erat rerum Orphicarum Pythagoricarumque confusio, ut vix aliquod discrimen inter utrasque animadverti posset [89]). Receperunt Orphici omnem Pythagoricam vivendi rationem, sobriam istam et jejunam; abstinuerunt cibis ἐμψύχοις; quae res arctissime conjuncta erat cum doctrina de metempsychosi [90]). Ex earun-

---

τριαγμοὺς pro Orphei poemate habuerunt; aliisque hac re imposuerunt; Gyrald. T. 2. p. 76. a. Voss. de art. poet. 13, 3. T. 3, 2. p. 31. Escheub. p. 193-200. Honou. p. 351.

88) Jamblich. vit. Pythag. 28, 146. 151. p. 304. 308. 316. Kiesl., Proclus in Tim. 5. p. 291., Theolog. Plat. 1, 5. — Barre Mém. de l'Acad. T. 16. p. 24., Valkenaer. de Aristob. p. 78. 84., Kanne ad Conon. p. 11-14., Anal. Philol. p. 39. 40. O. Mueller. Orchom. p. 382 sq. — Verissimam hanc fabellam habent Cudworth. syst. intell. T. 1. p. 343. Mosh., Eschenbach. p. 104. 139., Honou. p. 346., Clavier. pr. Gr. temp. T. 1. p. 87., Schelling. de diis Samothrac. p. 5., Ritter. Vorhalle p. 276.

89) Supr. p. 28. Quae confusio magis etiam aucta est posthac; v. p. 38.

90) Βίος ὀρφικὸς ap. Platon. de Legg. 6. p. 782. d. Epinom. p. 974. Euripid. Hippolyt. 965. cf. Erasmi Adag. ὀρφ. βίος. Jablonski Panth. Aegypt. p. 93. Eschenb. p. 186. Lambec. p. 170. Hanou. p. 348. Tiedemann. p. 21 sq. Santocruc. de myst. T. 2. p. 52. 57. Franguier. Mém. de l'Acad. T. 5. p. 117 sq. Clavier. hist. pr. Gr. temp. T. 1. p. 86. Creuzer. Dionys. p. 49. Symbol. T. 3. p. 152 sq. (166.) Kanne ad Conon. p. 13. Anal. Philol. p. 39 sq. Mythol. Gr. p. 137. (Urkund. p. 152. 601.) Voss. Ep. Mythol. T. 1. p. 32. Qui viri docti omnes, excepto Kannio et Vossio, hanc vivendi rationem antiquo Orpheo tribuerunt, et ex parte etiam cum laudatis veterum locis conciliare studuerunt Aristoph. Ran. 1064. Horat. ad Pison. 391.: inani profecto molimine. Nihil

dem disciplinarum colluvie prodierunt Ὀρφεοτελεσταί, fallax et improbum hominum genus, qui e librorum turba, splendida Orphei Musaeique nomina prae se ferentium, impune peccandi artem tradebant; qua quidem nulla mortalibus vulgo acceptior [91]. Transiit etiam a Pythagorica disciplina ad antiquum Orpheum dogma istud de corpore nostro, animi sepulcro [92], et alia, quae nunc quidem praeterimus. Atqui etsi pleraque

---

plane differt Ὀρφικὸς βίος a Pythagoreorum βίῳ ἐπὶ στάθμῃ (Creuzer. Dionys. p. 51.), quem toties in scena traduxit lepida Graecorum comoedia. Aristophanes in Pythagoreis (ap. Athen. 4. p. 161. c. e. cf. Jons. de script. hist. philosoph. 1. p. 33. Brunck. Aristoph. Fr. p. 264.):

τῆς εὐτελείας πρόφασιν εὑρόντες καλήν,
ὅρους ἔπηξαν τοῖς πένησι χρησίμους·
ἐπεὶ παράσχες αὐτοῖσιν ἰχθῦς, ἢ κρέας,
κἂν μὴ κατεσθίωσι καὶ τοὺς δακτύλους,
ἐθέλω κρέμασθαι δεκάκις.

Similes jocos ex Aristophontis Πυθαγοριστῇ v. ap. Athen. 6. p. 238. c. 13. p. 563. b. Diog. L. 8, 38. Jons. p. 58.; et e Cratini Πυθαγορικοῖς ap. Diog. L. l. l. — Antiphanes in Μνήμασιν; et in Κωρύκῳ (*Pera*) ap. Athen. 4. p. 161. a.:

Πρῶτον μέν, ὥσπερ πυθαγορίζων, ἐσθίει
ἔμψυχον οὐδέν, τῆς δὲ πλείστης πεντωβόλου
μάζης μελαγχρῆ μερίδα λαμβάνων λέπει.

Alexis in Tarentinis, ibid.:

Οἱ πυθαγορίζοντες γάρ, ὡς ἀκούομεν,
οὔτ' ὄψον ἐσθίουσιν, οὔτ' ἄλλ' οὐδὲ ἓν
ἔμψυχον, οἶνον τ' οὐχὶ πίνουσιν μόνοι.

cf. Athen. 9. p. 386. c. d., Sam. Petit. Miscell. 5, 8. p. 87.

91) Plat. de Rep. 2. p. 365. a. Strab. 10. p. 474. Demosth. de Coron. p. 313. (p. 568 sq. Taylor.) Theophrast. Char. 25, 4. Plutarch. Apophth. Lac. p. 215. H. Diog. L. 10, 4. Athen. 5. p. 198. b. — Casaub. de vi et us. verb. p. 136., Freret. in Mém. de l'Acad. T. 23. p. 262., Heyne de sacris c. fur. pract. Commentt. Gotting. T. 8. p. 22., Meiners. de vero deo p. 192-194., Santocruc. T. 1. p. 405. T. 2. p. 55 sq., Tiedemann. p. 26. 37., Siebelis. Philoch. Fr. p. 202., Passow. Mus. p. 32. 40., Valkenaer. de Aristob. p. 84. — J. H. Voss. Antisymbol. p. 225. Perperam Wachsmuth. (Athenae. 2, 2. p. 251.) Euripidis Ὀρφείας σανίδας (Alc. 965.) huc vocavit.

92) Plat. Cratyl. p. 400. c. Gorg. p. 516. b. (p. 100. Bip.) Philolaus Pythag. ap. Clem. Alex. Str. 3. p. 518. Potter. (433.) Cic. Quaest. Tusc. 1, 34. Macrob. in somn.

Orphica Pythagoreorum culpa depravata sunt, minime tamen de omnibus hoc valet. Plato enim, qui cum indignatione quadam τῶν Ὀρφεοτελεστῶν mentionem facit, multaque mere Pythagorica, ad Orphicorum vivendi rationem pertinentia, affert, et quodammodo defendit ludibundus; idem Plato valde honorificum Orpheo praebet testimonium, saepiusque ejus meminit, et nonnullos versus exhibet suavissimos, qui antiquo Orpheo digni esse possunt [93]). Neque a Pythagoreis tantum Orphica carmina mutata, interpolata et corrupta sunt; verum etiam ab aliis antiquis philosophis, quorum tres diserte memorantur, Chrysippus, Zeno, et Hippias sophista. Atque nihil dubito affirmare, Orphei poesin his fraudibus magis petitam esse, quam epicos ἀοιδοὺς, qui in populi ore vivebant; et in quibus ideo quaevis litura et quodvis additamentum neminem facile latere poterat [94]). —

Scip. 1, 11. Lactant. institut. div. 3, 18.; Meiners. histor. discipl. Gr. T. 1. p. 550. de vero deo, p. 196. Plessing. Memn. T. 2. p. 166. Tiedemann. p. 50 sq. — Hoc quoque dogma ad Pythagorae metempsychosen pertinet, quam Orpheo vindicat Eschenb. p. 52., et, ut alios taceam, Clavier. hist. pr. Gr. temp. T. 1. p. 86. — De aliis sententiis ὀρφικαῖς ἢ Πυθαγορικαῖς v. Plutarch. Sympos. 2, 3, 1. p. 635. e. p. 888. f., Hug. Grot. Prolegg. ad Stob. p. xi. et not. exc. de rer. nat. 1. tit. 13., Niclas ad Geopon. p. 128., Sturz. ad Empedocl. p. 652., Valkenaer. de Aristobul. p. 83.

93) Plat. Cratyl. p. 402. c., Phileb. p. 66. d. (Orphic. p. 473. Herm.), de Legg. 2. p. 669. d., 8. p. 829. d., 3. p. 677. e. Phaedr. p. 271. f., Jon. p. 533. b. 536. b., Protagor. p. 316. e., Sympos. p. 179. e., de Rep. 10. p. 520. b. Itaque accedere non possum sententiis Foucherii (Mém. de l'Acad. T. 35. p. 3.) et Zoëgae (Diss. p. 213.). — Hymnum Orphicum in Jovem (ap. Stob. T. 1, 1. p. 40. Heeren; et ex parte ap. Aristot. de mundo 7. p. 475. Casaub.) jam Plato novit de Legg. 4. p. 716. a.: Ἄνδρες τοίνυν φῶμεν πρὸς αὐτούς, ὁ μὲν δὴ θεὸς (ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος) ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθεῖαν περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. Non obscurum est hic respici versus:

Ζεὺς ἀρχὴ, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.

cf. Schol. Ruhnken. p. 516. Lips.; et ingeniosam Bouterweckii explicationem, de pr. philos. Gr. decret. p. 4 sq.

94) Numquam obliti sunt Graeci fraudis Solonis, qui verss. Il. 2, 557. 558. inseruit (Diog. L. 1, 48.), et aliorum, qui alia immiscuerunt. Ingentes contra Orphicorum carminum interpolationes ne videntur quidem ad populi notitiam pervenisse.

Hippiam Clemens tradit ex Orphei Musaeique carminibus ea, quae suo consilio apta fuerint, sumpsisse, disposuisse, indeque novas plane sententias finxisse; haud dubie ut sua decreta his splendidis nominibus praepositis commendaret [95]): ex quo sane apparet, magnam fuisse tunc temporis auctoritatem horum carminum, ad quam et Demostheni provocare licuit [96]). "Chrysippus, inquit Cicero, Stoicorum somniorum vaferrimus interpres, in secundo libro de Natura Deorum vult Orphei, Musaei, Hesiodi, Homerique fabellas accommodare ad ea, quae ipse primo libro de diis immortalibus dixerit: ut etiam veterrimi poetae, qui haec ne suspicati quidem sunt, Stoici fuisse videantur [97])". Quam rem num Stoicus sola perversa carminum Orphicorum interpretatione, an, ut Hippias, mutatis etiam versibus et alio ordine dispositis, assequutus sit, incertum quidem est; sed, qui Chrysippum Hesiodeorum versuum fictorem novit, et hoc facile sibi persuadebit. Quanta autem sententiarum mistura et confusio quum hac tum superiore aetate in poesin Orphicam congesta sit, ac deinde, ut est hominum credulitas, ad divinum Orpheum redundaverit, insignis vituperatio probare potest, in quam apud Graecos adductus est antiquissimus vates; quem jam Isocrates ob turpissimas de diis fabellas laceratum esse dicit [98]).

---

95) Clem. Alex. Strom. 6. p. 745. Simili modo cum Homericis carminibus actum esse non constat; nec probabile quidem est.

96) Demosth. or. 1. in Aristogit. p. 772, 26. R. (468.), Ruhnken. Ep. Cr. II. p. 229., Wolf. Prolegg. ad Hom. p. XLVIII., Gerlach. de hym. Orph. p. 5 sq.

97) Cic. de N. D. 1, 15. ibiq. interpp. cf. Galen. de dogm. Plat. et Hippocrat. 3. T. 1. p. 273. (126 sq. Ald.) Schol. ad Apoll. Rh. 3, 517., ubi *Zeno* ejusdem sententiae auctor laudatur; Depuis, origine de tous les cultes T. 1. p. 133. Tiedemann. p. 38. 65. — Fraudem Chrysippi, quam Hesiodus expertus est, probare poteris 18 versibus apud Galenum; v. Wolf. Prolegg. p. CCXXXVI.

98) Isocrat. Laud. Busir. p. 446. (p. 542. Bas. 1587.); similes calumnias vid. ap. Diog. L. 1, 5., Clem. Alex. adm. ad gentil. p. 3., Simplic. ad Aristot. de coelo

XXII.

Extincta Graecorum libertate, Musae, hujus alumnae, trans mare Athenis aufugerunt Alexandriam, ubi per plura secula, benignissime exceptae, a generosissimis principibus colebantur. Qui quum essent doctorum hominum amantissimi, frequentes undique ad se invitabant humanitatis studiosos, in quorum usum ingentem colligebant librorum copiam. His elegantiorum litterarum studiis abrepti plures brevi inclarescebant, in praeclaro illo Alexandrino ludo formati. Hic, quum optimorum librorum multitudine abundarent, in iisque legendis exercitatissimi essent, primum ea exculta est ars, quae judicia nostra, de vetustis scriptoribus ferenda, moderatur, certisque regulis praecipit, quid verum, pulchrum, genuinum in iis, quid falsum, inficetum, suppositium sit. Excutere coeperunt antiquorum carminum turbam, indeque discernere, quae firmis argumentis et rationibus certis auctoribus vindicari poterant; et, si judiciis eorum se commendassent, in canonem recipiebant, in quo omnes deinde sequentes aetates acquieverunt. Atque ita factum est, ut omnium antiquorum scriptorum fatum a severo grammaticorum Alexandrinorum judicio pependerit. Clarum Orphei nomen noverunt illi; noverunt etiam ingentem carminum, quae nomen ejus prae se ferebant, molem; sed Hesiodi Homerique carminibus antiquiora atque adeo Orphei poemata se legisse negabant. Itaque vix respiciebant nugaces istos Orphei libellos; quod inde potissimum apparet, quod rarissime ab iis memorantur, et nullibi fere auctoritatem ex iis quaerunt. Verumtamen non omnes videntur illis temporibus eandem rationem sequuti esse. Philosophi certe, qui minus curabant operosam horum librorum tractationem criticam, haud dubie perinde iis usi sunt, ac

p. 139., Chalcid. ad Plat. Tim. p. 220. Meurs., Euseb. Pr. Ev. 10, 4. p. 470., Justin. M. parae. p. 77., Serv. ad Virg. Aen. 6, 667. cf. Hug. de mytho p. 11., Tiedemann. p. 23 sq., Passow. Musae. p. 12 sq.

ac si ab ipso Orpheo profecti essent; et, quod mirabere, majoribus, quam umquam, commentis et fraudibus antiquum vatem cumulavere. Nova litterarum sedes novam iis praebebat materiem. Antiqua gens Aegyptiaca, in religione supra reliquas demens, jam olim, stulta superbia elata, Graecos, tamquam sui discipulos, despexerat. Nunc, quum Graecarum disciplinarum excellentiam in gremio suo foveret, utriusque gentis notiones de diis et natura rerum tantopere inter se conciliatae et confusae sunt, ut vix dignosci possent ab iis, qui deinceps successerunt, doctis hominibus. A malo isto notionum consortio profecta est nova philosophorum secta, quos syncretistas, barbaro profecto nomine, appellare solemus [99]). Hic Orpheo multa addiscenda erant, de quibus antiqua Graecia ne fando quidem audiverat; numina ei celebranda erant, quae liberis Graecis numquam innotuerant. Hinc novum theogoniarum Orphicarum genus conflatum est, ab antiquiore diversissimum. Ad eadem tempora Palaestinae Aristobuli fraudes pertinent, quibus omnium posthac patrum Christianorum piam credulitatem elusit [100]). Verum et ipsi Aristobuli aequales, quos non admodum sagaces fuisse oportet, quidquam fraudis odorati esse videntur in hoc novitio Orpheo Palaestino, cujus tamen odor, ut e pusillis fragmentis colligimus, non ambiguus erat; ex quo sane apparet, illo etiam tempore nondum abolitam fuisse antiqui Thracis auctoritatem; sicuti nullo umquam aevo defuerunt, qui in recens procusis carminibus Orphicis vetustam vatis suavitatem animadvertere sibi viderentur, qua feroces Graecorum animos domuerit, ac tigres rabidosque leones deleniverit.

Quam variae autem ac dissidentes res in Orphicam poesin hac aetate Alexandrina congestae coacervataeque sint, optime colligere poteris e di-

---

[99]) Brucker. hist. crit. philos. T. 1. p. 1355 sq. *de Pythagoreis syncretistis Alexandriae sub Ptolemaeis.* Prodierunt hi jam sub Philometoris et Physconis imperio.

[100]) Vid. sup. p. 39. Obscuram hujus hominis memoriam resuscitavit Valkenarius in libro, quem jam saepissime laudavimus.

versis modis, quibus theologia Orphica a serioribus scriptoribus, Hermia, Syriano, Simplicio, Damascio, Proclo, Olympiodoro, Athenagora, Clemente, Pseudo-Clemente et Eusebio, laudatur. At Orphici libelli isti non integri pervenerant ad horum hominum aetatem; clarissime hoc patet ex Damascii scripto *περὶ ἀρχῶν*, et ex Pseudo-Clementis recognitionibus, ubi ad majorum carminum excerpta et fragmenta respicitur. Hinc probabile fit, priora Alexandrina poemata Orphica nescio quo casu feliciter interiisse. Combusta fortasse sunt, ut tot alia opera, incensa priore bello Alexandrino bibliotheca [101]).

Sequuta sunt tempora, quibus religio Christiana, recens vulgata, maximas turbas excitaverat inter Graecos homines. Recentiores philosophi Alexandrini (Eclecticos vocant et Neo-Platonicos), novum systema theologicum condentes, quod positum esse contendebant non modo in Pythagorae Platonisque disciplina, sed derivatum etiam ex Orphei aliorumque Graeciae sacerdotum theologia; magnum profecto sibi ipsi imposuerant onus; primum ut demonstrarent omnium harum rerum consensum; deinde ut se defenderent contra recentis religionis patronos, non admodum acutos illos et sagaces; quorum tamen auctoritas maxima esse debebat ob ipsam religionem suo semper numine per se tutam, neque indigentem ineptis istis defensoribus. Ab hac parte omnem poesin, quae antiqua, et ab ipso Orpheo theologo profecta esse credebatur, resuscitabant, et in omnes ritus et mysteriorum sacra cupide inquirebant, ut taetrae Graecorum religionis foeditatem aperirent; cujus rei argumenta sponte iis offerebat arcanus Corae cultus, quae filia aviae et sponsa patris erat; deinde Jacchus a Titanibus dilaceratus, Dionysus *ἀῤῥενόθηλυς*, Polymnos et Baubo, et

Ὣς εἴπουσα θεὰ δοιοὺς ἀνεσύρατο μηρούς.

---

[101]) Res notissima ex Gellio 6, 17., qui ad millia ferme voluminum septingenta conflagrasse scribit.

et multa similia, quorum sensum inepti isti declamatores assequi vel non poterant, vel nolebant. Cupidius tamen alii ex eodem genere, ab Aristobulo decepti, Orpheum suum pro genuino Mosis Abrahamique discipulo venditabant, qui veram Dei cognitionem Graecos docuerit [102]). Tanto autem ferocius invehebantur in reliquos Graecorum poetas et fabulatores, quos e sacra scriptura hausisse putabant, sed decreta eorum corrupta et perversa esse auctore diabolo. Platonici contra subtilissimis et acutissimis antiquarum fabularum explicationibus suae religionis honorem defendere studebant; ubique olfaciebant allegorias physicas et morales; quas quum ad minutissimas etiam res transferrent, facile intellectu est, ad quas contortas et ridiculas interpretationes subinde delaberentur [103]). Orpheum, quippe sub cujus persona omnium temporum theologiam, quum antiquam illam et simplicem, tum recentem, multis commentis abundantem, repraesentare solebant Graeci, semper in ore habebant; multa suae disciplinae decreta, versibus inclusa, ei tribuebant, ut hinc iterum suis tenebricosis philosophematibus auctoritatem quaererent [104]). Verum et Christiani Orpheum in suas partes traxerunt, eumque, praeter alia multa, famosam

[102]) In poemate, cui titulus ἱερὸς λόγος, sive περὶ θεῶν, in quo personatus Aristobuli Orpheus exposuerat 1. περὶ τοῦ διακρατεῖσθαι θείᾳ δυνάμει τὰ πάντα. 2. καὶ γεννητὰ ὑπάρχειν. 3. καὶ ἐπὶ πάντων εἶναι τὸν θεόν, sive ἕνα εἶναι θεόν. Euseb. Praep. Ev. p. 661. d., Eschenb. p. 143-148., Valkenaer. de Aristob. p. 74., Silvestre de Sacy ad Santocruc. T. 2. p. 62.

[103]) Cf. sup. p. 38. Jam antiquiores Stoici simili via ingressi erant; cujus rei multa adhuc restant documenta. Mirum est et incredibile dictu, quanta rerum diversissimarum mistura inde producta sit. Res digna profecto esset uberiore explicatione, qua origo, progressus, et consilium istarum mutationum exponeretur. Sed nunc nec vacat, nec libet.

[104]) Porphyrius, quamvis acerrimus Graecae religionis defensor, cautissimus tamen est in antiqui Orphei sententiis laudandis; et, ubi reliqui Platonici ad ipsum Orpheum provocant, ipse allegat τοὺς τὰ Ὀρφέως εἰπόντας (Euseb. Praep. Ev. p. 100 a. et alibi).

Aristobuli palinodinam recoquere jusserunt [105]) suis commentis cumulatam. Longe plurima, quae ad nostra tempora pervenerunt, Orphica, ex hac utriusque disciplinae repugnantia derivanda esse, constans fere doctissimorum hominum sententia est. Suavitatis in his vel nihil inest vel parum; idque ex antiquiore aevo fortasse repetendum: ultra Pisistratidarum aevum nihil eorum ascendit. Verum multa etiam, quae satis vetusta esse videntur, ea, ne fallaci antiquitatis specie nostram credulitatem fallant, magnopere cavendum est. In pleraque autem non facile dixerim, quod in fabula Phaedri dicebat anus ad amphoram.

---

[105]) Integrum hoc poema ex Aristobuli libro affert Eusebius, Praep. Ev. 13, 12. p. 663—65; praeterea idem laudant Justinus Martyr, Tatianus, Clemens, Cyrillus, Theodoretus. Ab Orpheo profectum esse crediderunt multi, quorum sententiam ultimus repetiit Warburton. the div. leg. of Mos. T. 1. p. 155. Aristobuli Judaicum lusum esse, jam suspicatus est Escheub. p. 140., Moshem. ad Cudworth. syst. intell. T. 1. p. 347. Souchay. Mém. de l'Acad. T. 12. p. 14. cf. Santocruc. T. 1. p. 442. T. 2. p. 60., Passow. Mus. p. 52. — Falsae sunt suspiciones eorum, qui illud a Christianis derivant, ut Freret. Mém. de l'Acad. T. 23. p. 264., Meiners. Bibl. philol. Gotting. T. 3, p. 112., Gail de cultu Bacchi p. 97.

Ὀρφέα τ' ἄνακτ' ἔχων,
βάκχευε, πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς.

Caput II.

ORPHICAE POESIS PATRIA.

Ἐν ταῖς πολυδένδρεσσιν Ὀλύμπου
θαλάμοις, ἔνθα ποτ' Ὀρ-
φεὺς κιθαρίζων
σύναγε δένδρεα Μού-
σαις, σύναγε θῆρας ἀγρώτας.

XXIII.

Nihil ego in tota antiquitate nobilius novi insigni illa vetustissimis temporibus Thraciae celebritate, cujus grata recordatio animos Graecorum sacro quodam horrore perfundere solebat; utpote apud quos numquam abolita est prisca fama, ex illius terrae saltuosis montibus et consecratis lucis alma Musarum numina, mitem Gratiarum Cupidinisque cultum, et mansuetam Apollinis et Dionysi religionem ad se descendisse. Verum nihil etiam incertius et inconstantius apud veteres est vaga ista Thraciae finium descriptione, quae magnum et Europae et Asiae terrarum tractum complectitur. Quae quidem res jam antiquitus varios et multiplices errores in vera Musarum patria definienda produxit; a quibus iterandis nondum recessit recentiorum sequacitas. Prout enim horum quisque poesin, vel ex India, vel e Colchide et fabulosa Lycia seu vi seu artificio aliquo raptam, primitivis Graeciae incolis obtrudere gestit, qualemcumque sibi fingit Thraciam Asiaticam, quae quasi pons fuerit, qua Musae incredibilem sibi ex Asia in Europam paraverint transitum. Ingeniosa, ut vulgo vocatur,

sententia: quae vero tam perperam est excogitata, ut ab omni probabili ratione partim abhorreat, partim contra omnem historiae fidem sit proposita. Recognosce tecum totam istam septentrionalem plagam, per quam Musae, e nescio qua Indiae parte trans Colchidem advenae, itinera fecisse, et, ad tempus certe, domicilium ibidem constituisse putantur, latas et extensas Scythiae regiones, loca Caucaso adjacentia, et horridas incultasque Thraciae terras; quinam, quaeso, populi incolebant istius plagae vastitates Homeri temporibus? Barbari nempe Ciconum, Mysorum, Abiorum, Equimulgorum greges cum eo hominum genere, quibus natura ne salis quidem usum concesserat. Hoc horrido locorum cultu Mavors apud Homerum gaudere dicitur cum omni Timoris, Terroris, Furorisque comitatu. Scilicet haec est obscura ista et tenebricosa terra, cui Graeci clarissimum ingenii cultum debent. Scilicet haec est celebratissima olim Musarum sedes, quam post tam molesta et laboriosa emensa itinera sibi elegisse putantur; scilicet ut se reficerent et recrearent lacte equino, et cibis, quibus ne sal quidem admistum erat. Quantis autem ambagibus per horridissimas regiones opus erat, priusquam ad Graecos pervenirent! Gratius haud dubie viri illi doctissimi fecissent Musis, si eas ex Asia statim transfretassent ad umbrosos Heliconis lucos. Thracia ista Musarum sedes si unquam fuisset, qualecumque profecto earum monumentum ibi restaret, vel aliqua certe horum locorum notitia ad Graecos pervenisset. Ibi autem nullus vel fons, vel mons, Musis consecratus, fabulisque celebratus; nullus Olympus, Deorum domicilium. Miraculum profecto esset, si poesis, circa Caucasum et apud Equimulgos olim florens, Musarum reliquorumque Deorum sedem ad Thessaliam et Boeotiam transtulisset, spreto Caucaso suo aliisque vicinis montibus.

Ne epicam quidem poesin in ipsa Graecia ortam volunt; sed ex nescio quibus Asiae regionibus traductam, quandoquidem nullius *Graeci* poetae

nomen a veteribus memoretur. Quippe nomina ἀοιδῶν, quos ante se plures fuisse ipse Homerus perhibet, ut Phemii atque Demodoci, ficta esse dicunt, nec quidquam valere, ut inde probari possit, ejusmodi homines inter vivos umquam fuisse. Atqui nomina si ficta sunt, num poesin quoque, quae illis tribuitur, fictam esse credamus? Credat, cui lubet. Ego cupidius hoc quam verius pronuntiari puto. Quid? quod ipsi sibi in tali judicio ferendo parum constent. Etenim Orphei, Musaei, Eumolpi aliorumque nomina simili modo ficta esse opinantur; poesin vero iis temporibus, ad quae haec nomina referantur, revera floruisse [1]). Jam vero non assequor, quo tandem jure hoc concedi, illud negari queat. Deinde ista fictorum nominum argumenta quum per se infirma sunt, tum eo etiam paululum restringuntur, quod a veteribus unus et alter poeta memoratur, quorum nomina ab omni poetica fictione plane abhorrent; Syagrum dico, qui statim post Ilium eversum vixisse, primusque Trojanum bellum decantasse dicitur; et Thamyrin [2]). Hujus nominis etymologiam

---

[1]) Non epicam tantum poesin ex Asia in Graeciam illatam esse putant (e. c. Godofr. Hermannus in Epist. ad Creuzer. p. 12 sqq.), sed poesin omnino. Olen, antiquissimus vates, poesin lyricam e fabulosa Lycia in horridam Thraciam: Orpheus, Musaeus, alii, eandem e Thracia in Graeciam transtulerunt: atque haec omnia diu ante aetatem Homericam accidisse ipsi illi confitentur. Ergo poesis prius in ipsa Graecia fuit, quam Homerus in Jonia exortus est. Ecce aliam inconstantiam, seu potius contradictionem! Unde autem epica Musa ad Homerum venit in Joniam, ubi eam nullo modo natam esse iidem confitentur? Hic aqua haeret. Hermanni quidem mentem secus cepit O. Muellerus (Orchom. p. 388.), qui eam ita interpretatus est, ut poesis *epica* post Homerum ex Jonia per Lyciam et Thraciam ad Graecos pervenerit. Hoc si voluisset Hermannus (quod vero noluit), in hac certe re contradictio evanesceret.

[2]) Θάμυρις *Concius*. Hesych. v. θάμυρις, συνέτης τινῶν, σύνοδος, πανήγυρις; et ὁδοὺς θαμυράς, τὰς λεωφόρους. Ergo Thamyris est homo, qui semper in publico versatur, populum congregat, carmina sua publice recitat, et stipe accepta in alias regiones abit. Vilis et abjecta profecto notio! De Syagro in oculos incurrit, vix unquam aliquem nomen minus poeticum nactum esse. Est enim *Suceps* (Saufaenger), ἀπὸ τοῦ σῦς ἀγρεῖν.

iis valde arrisuram puto, qui veteres ἀοιδοὺς *errones* et ἀλήτας, stipe collecta vitam trahentes, fuisse opinantur, recentiorum quorundam scriptorum falsis imaginibus decepti, et Homericorum carminum, ubi ἀοιδῶν maxime honorifica semper fit mentio, et ubi iidem heroum numero accensentur, plane immemores. Thamyris certe exemplum, qui Oechalia profectus esse dicitur Dorium [3]), nihil probat, quum hujus itineris consilium nobis plane ignotum sit. Provocarunt quidem alii ad Eumaei, divini subulci, inhonestum testimonium, quo ἀοιδοὶ ad eorum hominum numerum referuntur, qui res populares, seu ad communem populi usum spectantes, tractant

---

Sophocles in fabula satyrica, ἐν Ἀχιλλέως ἐρασταῖς, canem sic appellavit; aprum Antiphanes et Dionysius tyrannus in Adonide: Lynceus Samius dixit κρέατα ευάγρια, et Hippolochus mentionem fecit ευάγρων πελλῶν. Idem nomen contigit Laconi (ap. Herodot. 7, 153.), et Aetolorum duci alicui (Vid. Athen. 1. p. 1. c. 9. p. 401. c-402. a. Eustath. ad Odyss. 19. p. 706, 2. Bas.)., Minus profecto poeticum nomen, quam *Hagedornii* et *Klopstockii*. De hoc Sucipe vid. Aelian. V. H. 14, 21., Eustath. ad Il. T. 2. p. 9. Bas. p. 4. Rom., Leo. Allat. de patr. Hom. 4., Jons. scriptt. hist. phil. 1. p. 21., Fabric. B. Gr. T. 1. p. 291., Passow. Musae. p. 25. Falsissima sunt, quae tradit Rochefort. in Mém. de l'Academ. T. 36. p. 426. — Ejusmodi nomina, quae aliquid significant, quod cum rei vel personae indole, cui tribuuntur, convenit, magnopere cavendum est, ne illico pro meris fabulantium Graecorum figmentis habeamus. Prudenter hac in re versantur Zoëga et Welckerus, Dissertt. p. 20. 257. 359., Kannius Mythol. Gr. p. xxxviii., J. H. Vossius A. J. L. Z. 1821. nr. 86., O. Mueller. Dor. 1. p. 63.; eodemque modo veteres, ut Strab. 10. p. 722., Polyaen. 6, 1, 6., Pausan. 8, 8, 2., cujus observationis abusus nos cautiores esse aliquando docebit. Cf. sup. p. 54 sq.

3) Il. 2, 591. Vagantes ἀοιδοὶ adhuc occurrunt ap. Schlegel. hist. Gr. poes. p. 42. 48., O. Mueller. Orchom. p. 388. etc. Fuerunt adeo, qui illos ad famulorum numerum referrent (Lenz. Supplemm. ad Sulzer. T. 2. p. 8.). — Demodocus ἥρως, Od. 8, 483. De Oechaliae et Dorii situ jam veteres incerti disceptarunt. Triplex hujus nominis urbs fuisse dicitur, in Thessalia ad Peneum, in Euboea, et in Messenia (Tzschucke ad Melam 2, 1. et Voss. ibid. p. 706. ed. 2. cf. A. W. Schlegel. de geograph. Homer. p. 44., Creuzer. hist. Gr. Fr. p. 53., Clavier. pr. Gr. temp. T. 1. p. 228 sq., O. Mueller. Dor. 1. p. 26. 29. 100. 149. 411 sqq.). Homerus nonnisi Oechaliam Thessalam novit (Il. 2, 595. 730.; priorem locum ad Messeniacam perperam traduxit Pausan. 4, 33, 5., et Mueller. Orchom. p. 368., Dor. 1. p. 413.).

tractant (*δημιοεργοὶ*), et vocantur *κλητοὶ ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν* [4]). At quominus vox *κλητὸς* in istam sententiam detorqueatur, totius loci connexus prohibet.

XXIV.

Thracia inde ab antiquissimis temporibus usque ad Doriensium migrationes universa fere Macedonia seu Emathia dicta est: Thraciae nomen magna olim Thessaliae pars sibi vindicavit, regiones circa Olympum, Pieria, Pimplea, Libethrus, Dium. Thraciae regiones memorantur in Boeotia circa umbrosos Heliconis lucos; Thraces incoluerunt olim Phocidis loca circa Daulidem et Parnassum [5]): Thraces in Attica prope Eleusi-

[4]) Od. 17, 383. Lenz. Supplemm. ad Sulzer. T. 2. p. 6., Hartmann. hist. cult. Gr. T. 1. p. 138., Fr. Schlegel. hist. Gr. poes. p. 46. 53.

[5]) Thraces circa Olympum, Pieriam, Emathiam et Athum ap. Hom. Il. 14, 225 sqq. *Εφύροι ἐκ Θρῄκης* Il. 13, 301. ibiq. Schol. Thracia excellentissimi vini ferax, non horrida ista, Il. 9, 71. Od. 9, 197. cf. Schol. ad Apoll. Rh. 3, 997. Eurip. Cycl. 141. Plin. 14, 4. (6.). E Thracia vini cultus transierat in vicinam Lemnum, unde ad Achivorum castra vinum transfretabatur Il. 7, 467. quem locum J. H. Voss. nuper perperam intellexit, J. A. L. Z. 1821. nr. 86. *Λῆμνος ἀμπελόεσσα* ap. Quint. Smyrn. 9, 336. cf. Athen. 1. p. 31. b. Aristoph. Pax. 1161. O. Mueller. Orchom. p. 304. Bendtsen. de Samothracia, in Muenteri Misc. Hafn. T. 1. P. 2. p. 119. — Naxus occupata olim est a Thracibus, qui hanc insulam Bacchi religionibus impleverunt, Eustath. ad Od. 2, 310. p. 101. Bas. 347. cf. Chandler. iter. in Asiam. M. p. 75. De numorum symbolis, huc pertinentibus, v. Eckhel. doctr. num. T. 2. p. 34. P. Knight. symbol. lang. §. 112. — Horridiores Thraces Asiaticos idem Homerus ad Trojanorum exercitum refert Il. 2, 844. ibiq. Heyne. Il. 4, 520, 533, 537. Il. 5, 462. 6, 8. 11, 221. Thraces ex Europa in Asiam profectos memorat Xenoph. Anab. 7, 2, 18. Strab. 12. p. 514. (816.). — Thraces in Daulide, Thucyd. 2, 29. Strab. 7. p. 494. 9. p. 648. Liv. 32, 18. Pausan. 1, 41, 8.; in Boeotia, Strab. 10. p. 471. (722.) cf. 1. p. 28. ibiq. Casaub. 9. p. 410. a. (449.), Pausan. 9, 29, 2. in Attica, Strab. 7. p. 508. — Thracia quam late olim patuerit, docet Freret. Mém. de l'Academ. T. 19. p. 585 sq., T. 23. p. 249., Foucher. T. 35. p. 19., Larcher. Herodot. T. 7. p. 419. 8. p. 566., Clavier. pr. temp. Gr. T. 1. p. 73. 123. T. 2. p. 24., Santocruc. de myster. T. 1. p. 120., Is. Voss. ad Melam, 2, 1. p. 706. ed. 2., Tzsch. ad Melam, Vol. 3. P. 2. p. 179., Boettiger. in Wielandi. Mus. Att. T. 1, 2. p. 290.,

dem habitasse dicuntur. In Boeotiae et Phocidis confiniis sita erat Thracis; quae urbs antiquissimis temporibus a Thracibus erat condita [6]). Thraces Boëotii auxilium aliquando, duce Eumolpo, Eleusiniis contra Erechtheum, Athenarum regem, tulisse narrantur [7]). Thereus, Thracum Dauliorum rex, Proguen, Pandionis filiam, in matrimonium duxit [8]). Thraces Boeotii Pandionis socii vocantur contra Labdacum Thebanum. Aloidae Thraces inhabitasse dicuntur Ascram, ad Heliconis radices sitam [9]). Thraces Boeotii bellum olim gessisse dicuntur contra Boeotos Aeolios, e Thessalia reversos [10]). Colonia Aeolica duce Penthilo e Peloponeso usque ad Thraciam Boeotiam penetrasse, ibique in Aulide naves conscendisse fertur in Asiam transfretatura [11]). Iidem illi Thraces Codri temporibus in

---

J. H. Voss. Weltkunde p. xviii., Gatterer. de Thracia, in Commentt. Gotting. T. 4. p. 88 sq. 93., Heyne de temp. myth. ibid. T. 8. p. 8., de Gr. orig. ibid. p. 25. 29 sq., de Musis, ibid. p. 38-45., de Castor. epoch. Nov. Commentarr. T. 1. p. 89., Mueller. ad Tzetz. T. 2. p. 518. 520. 587., Huelmann. Init. Gr. hist. p. 47. 74., Clarke's Connexion etc. p. 66., Travels P. 2, 2. p. 777 sq., P. 2, 3. p. 310 sq., Marsh. hor. Pelasg. p. 35., Petersen. de Musar. orig. in Misc. Hafn. T. 1. P. 1. p. 99., Creuzer. Symbol. T. 3. p. 538 sq., et omnium optime Mueller. Orchom. p. 379-390. cf. p. 86. 193. 211. 357. 431. Dor. 1. p. 9.; cui quae Kortuem. nuper opposuit, leviora sunt, quam ut respiciantur (Zur Geschichte Gr. Staatsverfass. p. 84-88.).

[6]) Strab. 9. p. 423. (528.) 424. (529.) Pausan. 10, 3, 2. Hinc fortasse Thracidae, qui in sacro bello Phocensi memorantur (Diodor. 16, 24.).

[7]) Hegesias ap. Strab. 9. p. 396. b., Euripid. Fr. Erechth. 1, 51. p. 442. Beck.

[8]) Thucyd. 2, 29. Pausan. 1, 5, 4. 10, 4, 6. cf. Perizon. ad Aelian. V. H. 8, 7.

[9]) Pausan. 9, 29, 2. 9, 22, 3. Schol. ad Pindar. Pyth. 4, 156. De Aloidis omnino vid. Heyne Commentt. Gotting. T. 8. p. 57. 35. 41 sq., Opusc. Acad. T. 2. p. 307., Petersen. de orig. Mus. l. l. p. 90. O. Mueller. Orchom. 381. 387.

[10]) Ephor. ap. Strab. 9. p. 402. b. c. (616.) Marx. Fr. p. 130. cf. Strab. p. 629. a. 630. c., Polyaen. 6, 43., Heraclid. ap. Zenob. 2, 84. (Huic bello originem debet proverbium θρᾳκία παρεύρεσις ap. Phot. 1. p. 73. v. Schott. Adag. p. 444.). Larcher. Herod. T. 7. p. 238 sq. 249., Creuzer. Fr. histor. Gr. p. 121.

[11]) Strab. 13. p. 582. b. (872. c.). Mirum est, quantopere haec Boeotia Thracia viros doctos torserit. Plerique Penthilium cum colonis suis in septentrionalem Thra-

Athenienses impetum fecisse narrantur, quo ipse Codrus interierit [12]). Quid? quod Thraces olim Minyas Orchomenios e sedibus suis expulere [13]).

Quum igitur certissimum sit, serioris Thessaliae et Boeotiae montium juga, Olympum, Pierum, Libethrum, Pindum, Pimplam, Heliconem, Cithaeronem, et vicinae Phocidis Parnassum, sub Thraciae nomine aliquando latuisse, jam per se intelligitur, ubicumque de Thracibus, primis Musarum cultoribus, et poesis inter Graecos auctoribus sermo est, nonnisi de his locis cogitari posse, ad quae omnium antiquissimarum fabularum patria et sedes pertinet. E Thessalia suscepta est nobilissima Argonautarum expeditio; ad Thessaliam spectant antiquissimae Herculis res gestae; e Thessalia innotuit totus fere mythorum cyclus de pugna Deorum cum Titanibus; Thessalia primitiva est sedes cultus Apollinis: carmina Argonautica, Heracleae, Titanomachiae, prius in Thessalia ortae sunt, quam magna Graecorum pars, e patria ejecta, novas sedes in Asiae lito-

---

ciam mittunt (ut Gillies hist. Gr. T. 1. p. 99 sq., Clavier. pr. temp. Gr. T. 2. p. 48., Raoul Rochette. hist. colon. Gr. T. 2. p. 451.); cujus erroris ansam haud dubie jam Strabo praebuit, qui tamen alibi recte sentit, 9. p. 401. c. (615. c.). Omnino iidem veterum, quibus antiquus Thraciae situs et ambitus haud ignotus est, in hac re saepius falluntur. De Penthili colonia verum jam vidit Frerei. Defens. chronolog. p. 67. et Mem. de l'Acad. T. 19. p. 586., quem sequutus est Larcher. Herodot. T. 7. p. 418 sq 433 sq.

[12]) Socrates historicus ἐν δευτέρῳ Θρᾳκικῶν ap. Plut. Parallel. p. 310. b. (T. 7. p. 233. Reiske p. 422. Hutten), Oros. 1, 18. Memorabilis profecto narratio, quae ad verbum fere convenit cum iis, quae de Doriensium incursione traduntur. Quare videndum, ne Dorienses aliquando sub Thracum nomine latuerint.

[13]) Hellanicus ap. Harp. p. 57, 19. v. Meurs. de regg. Att. 3, 8. Lectt. Att. 1. 14. p. 25. Mueller. Orchom. p. 390. — Thracum θαλασσοκρατίαν quandam Castor ponit 177. post Troj. capt. (Heyne Nov. Comm. Gotting. T. 1. p. 86.). Omnino late diffusa haec gens olim fuit; Anthedonem enim et Abas quoque incolebant. Steph. Ἀνθηδών. Lycophr. 754. Eustath. ad Il. 2. p. 205, 22. — Post Doriensium migrationes nulli amplius Thraces memorantur, nec in Phocide, nec in Boeotia, nec in Thessalia.

ribus occupasset. Cui autem ignota est Boeotia, unde variae Bacchi Cererisque religiones per reliquas Graeciae regiones propagatae sunt? in qua nullus fere est fons, fluvius, mons, qui non fabulis carminibusque inclaruerit [14]). Jam vero et Olympi et Heliconis accolae cognatissimi fuerunt: in utraque regione Musarum cultus floruit; Thespienses eum accepisse feruntur a Pieribus; quin etiam eadem locorum nomina e Pieria Thracia ad Boeotiam translata sunt; pleraque saltem montium nomina, quae memoravimus, utrique terrae sunt communia [15]). Deinde antiquissima etiam

[14]) Vereor, ne tempus teram in singularum rerum sollicita explicatione, quae tamen, opinor, nullam vim, etiamsi omni hoc, vel majore etiam, argumentorum pondere obruentur, apud eos habebit, qui obstinato quodam molimine Musas ad humanissimos Equimulgos, et politissimos Caucasi accolas rejicere student, antiquiorum mythorum Graecorum perversa explicatione decepti, vel eorundem plane immemores.

[15]) De Thracibus Pieriis et Heliconiis, Musarum cultoribus, vid. Heyne de Mus. Comm. Gotting. T. 8. p. 40. 44., Opusc. Acad. T. 2. p. 308., Petersen de Mus. orig. in Muenteri Misc. Hafn. T. 1. P. 1. p. 84., O. Mueller. Orchom. p. 381., et ex parte J. H. Voss. J. L. Z. 1821. nr. 85. cf. Antisymbol. p. 183 sq. 192. Ad Olympum vicinamque Pieriam et Homerus et Hesiodus Musarum patriam referunt. Ad eosdem illos Thraces Pausaniae narratio (9, 29, 2.) de Piero, qui Musarum nomina a Thracibus didicerit, spectat — δεξιώτερον γὰρ τά τε ἄλλα ἐδόκει τὸ ἔθνος εἶναι πάλαι τὸ Θρᾴκιον, καὶ οὐχ ὁμοίως ἐς τὰ θεῖα ὀλίγωρον. Conon. narr. 44.: φιλόμουσον γὰρ τὸ Θρᾳκῶν γένος. Strab. 9. p. 410. a. (629. a.): Θρᾷκες — οἳ καὶ τὴν Πιερίαν καὶ τὸ Λείβηθρον, καὶ τὴν Πίμπλειαν ταῖς αὐταῖς θεαῖς (Μούσαις) ἀνέδειξαν. cf. 10. p. 471. b. (722. a.); plenior et accuratior hujus rei notitia periit cum septimo Strabonis libro (v. epit. p. 508.). Scripserat et Amphion Thespiensis peculiarem libellum περὶ τοῦ ἐν Ἑλικῶνι Μουσαίου, in quo haud dubie plura, ad eandem quaestionem spectantia, lecta sunt. Pristina illa Thracum fama inducti seriores Graeci verbum θρησκεύειν a voce Θρᾷξ derivarunt, ut Plut. Alex. p. 665. (T. 4. p. 5. Reisk), Gregor. Naz. 29. p. 626., Etym. v. θρῆσκος. ibiq. Hemsterh. p. 258 sq. Lennep., Suid. v. θρησκεύει. Hesych. vv. θρέσκος. θρέξατο. θρήσκω. θαραχθείς. θρησκεία. cf. Voss. de philos. sect. 4, 1. T. 3, 3. p. 286., Kanne Anal. Philol. p. 67. Urkund. p. 387. — Caeterum de hac Thracia, antiquissima Musarum sede, cf. Hug. de mytho, p. 222. 227., Heyne Opusc. Acad. T. 1. p. 167., Kanne Anal. Philol. p. 68 sq., Mythol. Gr. p. 97. — Haud parum torserunt veteres geographos eadem nomina et Thessaliae et Boeotiae fontibus, fluviis et montibus tributa; contende modo inter se haec loca: Steph. Byz. de urb. p. 549. Gronov., Ptolemae. 3, 13., Schol. ad Apoll. Rh. 1, 25. 31., Scylax. Peripl. p. 61. Gron.,

Orphei monumenta in utraque regione fere eadem memorantur [16]). At insignis horum locorum gloria et celebritas, a primis Graeciae poetis profecta, posthac omnino est obscurata, et Homerica aetate jam fere abolita. Doriensium turbae et in his regionibus alium rerum ordinem produxisse videntur. Thraces Pierii, a Temenidis e pristinis sedibus turbati, refugerunt ad invios Pangaei saltus [17]): cum iis evanuit antiquum Thraciae nomen; evanuit antiqua gloria. Iisdem temporibus Thraces etiam e Boeotia ejecti, diffusi, et partim trans mare fugati sunt [18]): periit vetusta

---

Schol. ad Callim. in Del. 7. ibiq. Spanhem., Tzetz. ad Locophr. T. 2. p. 518. 520. 587., J. Tzetz. Chil. 7, 948., cf. Fr. Orph. 46. p. 499. Herm., Paus. 9, 34, 3., Liv. 39, 26.

[16]) Vid. supr. p. 87. Ut autem Orphei memoria nonnisi ad Pieriam et Boeotiam (Pausan. 9, 30, 2. Tzetz. ad Lycophr.: Ὀρφεὺς ἀρχὴ καὶ πατὴρ ὑπάρχων τῶν ποιητῶν κατῴκει περὶ τὸν Ἑλικῶνα καὶ τὸ Λειβήθριον. T. 2. p. 520. Muell.), ita reliquorum poetarum, qui vulgo Thraces vocantur, nomina, vel ad eadem loca, vel ad Atticam et Phocidem spectant. Thamyris Thessalus fuit, Linus Boeotus, Musaeus Atticus, Eumolpus Atticus, Olen et Philammon Phocenses (Paus. 4, 33, 4.). Turpissimi sunt errores veterum, antiquissimi locorum situs et nominis prorsus immemorum, si Orphei patriam ultra frigidum Haemum, et, si Musis placet, ad horridos Cicones et Odrysas, adeoque ad Bosporum Thracium projiciunt (Diodor. 5, 64.: ἐν τοῖς Κίκοσιν, ὅθεν ὁ καταδείξας Ὀρφεὺς ἦν., ineptus Argon. auctor 78.: Κικόνεσσι ἄνακτι. Ὀρφεὺς, ἀνὴρ Ὀδρύσης ap. Suid. v., et Theodoret. Therapeut. 1. T. 4. p. 468. et all.). Quae gerrae a recentioribus deinde magis etiam amplificatae sunt, ut ab Hug. de mytho p. 5.: "*An dem Thrakischen Bosporus, wo den Griechen der Thrakische Orpheus den Todschlag und wilden Frafs abgewöhnte*". Eandem fere patriam Orpheo assignat J. H. Voss. in notis ad poemat. lyr. sua, T. 1. p. 300 sq.; et cum his fere consentit Creuzer. Symbol. T. 1. p. 200. (210.) 263 sqq. (T. 2. p. 285 sqq.) T. 3. p. 165. (151.); Orpheum Scytham facit Hanou. p. 335.; ad Cicones refert Huellmann. Init. hist. Gr. p. 37. 41., Sickler. ad Hymn. in Cer. p. 97., ut alios omittam; ad frigidum Haemum Schlegel. hist. poes. Gr. p. 15. 39.

[17]) Thucydid. 2, 99. Strab. 9. p. 410. a. 10. p. 471. Festus. v. Pimpleides. Petersen. de Mus. p. 98. J. H. Voss. ad Virg. Ecl. 6, 13.

[18]) De magnis istis mutationibus, quae in his regionibus post bellum Trojanum ortae sunt, v. Thucyd. 1, 12. Strab. 9. p. 402. ex Ephoro; Charax ap. Steph. Δώριον, Polyaen. 1, 12. 8, 44. cf. Gillies. hist. Gr. T. 1. p. 94 sq., Boeckh. oeconom. civil. Athen. T. 2. p. 369., Mueller. Orchom. p. 130. 385.

Thracum fama, perierunt primi Musarum cultores. Quum Athenae aliaeque Graeciae regiones omnem politiorem humanitatem et summum ingenii cultum sibi vindicare coepissent, Thessali ingeniosissimi quidem erant in coenis laute parandis; in aliis autem rebus nullum prodebant ingenium; et Boeotici ingenii tarditas et stupor adeo in proverbium abierat [19].

XXV.

Thraces in antiqua Graecia ipsis Hellenibus multo antiquiores fuisse perhibentur [20]; quin immo, si nutus veterum recte excipere didici, una cum Pelasgis ad primitivos Graeciae incolas referendi sunt, quos, quum Graecae historiae scribendae studium vigere coepisset, barbaros vocare solebant. Nihil quidem certi ab locupletibus auctoribus de tempore traditum reperimus, quo utraque gens illas regiones primum occupaverit; nihil certi, num alias antiquiores gentes e sedibus suis expulerit, vel cum iis se conjunxerit, et ex parte etiam posthac coaluerit; nihil denique certi, num autochthones fuerint sive aborigines. Impeditior profecto res est de Pe-

---

19) Θετταλοὶ εὐτράπεζοι sexcenties traducti sunt de scena Attica; vid. Athen. 2. p. 47. b., 4. p. 37. d., 10. p. 418. c. d. — Boeotorum vero stupor cuivis puero Attico notus e proverbiis: ὗς Βοιώτια, ὦτα Βοιώτια. Pindar. Ol. 6, 150. Apostol. ap. Lambin. ad Horat. T. 2. p. 389. Frf.: δικαίως καλεῖσθε Βοιωτοί· βοῶν γὰρ ὦτα ἔχετε. cf. Boettiger. Mus. Att. T. 1. p. 312 sqq.

20) Pausan. 1, 41, 8. de Thracibus Dauliis agens — πάλαι γὰρ τῆς νῦν καλουμένης Ἑλλάδος βάρβαροι τὰ πολλὰ ᾤκησαν, quam rem Pausanias ex antiquioribus libris, qui in hoc argumento toti versabantur, repetiit. Satis, ut opinor, nota sunt Hellanici, Aristotelis, Nymphodori, Theodectis, Damastis νόμιμα βαρβαρικά, v. Toup. ad Suid. P. 2. p. 153., Sturz. ad Hellanic. p. 63., Boeckh. Platon. Min. p. 78–83. Constans erat inter Graecos sententia de barbaris majoribus suis, quam Platonem etiam (Cratyl. p. 425. e. 409. e. cf. Marsh. hor. Pelasg. p. 33 sq.), et Hecataeum (ap. Strab. 7. p. 494. Fr. p. 71. Creuz.), et Ephorum (ap. Diod. 1, 9. Fr. p. 93. cf. Salmas. de Hellen. p. 426.) probasse constat. Huc pertinet etiam ὁ τοὺς Φρυγίους λόγους γράψας (ap. Schol. ad Apoll. Rh. 1, 558.), de quo vid. Lobeck. de morte Bacchi p. 24.

lasgis, quam ut accuratius hic tractari possit; pauca tamen, quae cum nostra quaestione conjuncta sunt, paulo inferius exponere licebit. Hic, quae de Thracibus dicenda restant, explicabo. Horum origo num ex septentrionalibus plagis, quas Edoni, Odomantes, Odrysae, Treri incolebant, repetenda sit, vix credibile videtur ob altissimum veterum silentium; ac etiamsi illinc repetenda esset, tamen eorum migrationibus summa antiquitas tribuenda foret. At ipse Thucydides, quo vix graviorem testem in his rebus producere poteris, omnem conjunctionem et cognationem inter Thraces Daulios et Odrysas prorsus negat [21]). Thraces septentrionales primaevam morum feritatem numquam prorsus exuere; Thraces Pierii contra, et Heliconii, et Parnasii jam mature humaniorem vitae rationem ingressi sunt; quod mitissimus Musarum cultus satis superque probat [22]). Ac si horum gloria ad horridam Thraciam aliquando redundavit, jam sponte apparebit, hoc seriorum Graecorum negligentia et inscitia factum esse, a qua recentiorum credulitatem assensum cohibere conveniebat. Ne probabili quidem argumento umquam evincetur, poesin Musarumque cultum ultra frigidum Haemum floruisse. Quam mature vero in Thessalia poesis orta sit, insigni sane Achillis exemplo doceri potest, quem unum in universo Achaeorum exercitu poesis citharaeque gnarum fuisse Homerus perhibet [23]). Quod argumentum quum per se levis ponderis ipse habeam, aliquid tamen lanci addit.

[21]) Thucyd. 2, 29., quem virum probabile est accuratam Thraciae gentium cognitionem sibi comparavisse, siquidem diu in illis regionibus eum vixisse, ibique historias composuisse constet.

[22]) Haec distinguenda erant quum Zoëgae, viro quantumvis ingenioso et docto (de Obelis. p. 206.), tum aliis multis. Itaque omnibus argumentis destituti sunt Levesque (Vers. Thucydid. T. 3. p. 278 sqq. T. 2. p. 314. Stud. histor. antiq. T. 2. p. 111), Raoul-Rochette (hist. colon. Gr. T. 2. p. 193 sqq.) etc., quibus assentire non debebat Weichert. de Apoll. Rh. p. 111.

[23]) Il. 9, 189. (cf. Athen. 14. p. 633. c.) cujus loci veram auctoritatem non assequuti sunt, qui sexcenties eum laudarunt.

Rumor aliquis ad Graecos pervenerat de coloniis, e peregrinis terris in Graeciam transmigratis, quae secum duxerint omnis cultioris vitae initia; verum eae partim fabulosae sunt, et tam incertis testimoniis traditae, ut vix aliquid veri iis subesse videatur; partim satis quidem certae; sed nullius, vel perexigui tantum momenti fuisse videntur ad ingenia Graecorum erudienda. Fabulosas istas hic omnino praetermittimus. Magna vis vulgo tribuitur coloniae Lydio-Phrygiae, duce Pelope, quem regiones circa Heliconem et Olympum occupasse ibique Musarum cultum instituisse recentiorum quidam dictitant [24]). At primum Pelops non Thessaliam et Boeotiam sibi subjecit, sed Peloponesum, quae ab eo nomen traxit; deinde quo tempore haec loca petiit, jamdudum floruisse oportet in Pieria Musarum cultum. Multo probabilius est, Briges, Thraciam gentem, qui Macedoniae partem habitabant, cum ex Europa in Asiam trajecissent et una cum patria nomen mutassent (e Brigibus facti sunt Phryges) [25]), rudia Phrygum ingenia formasse religionibus deorum; quod temporum certe rationes admittunt [26]). Verum et haec in conjectura posita sunt. Neque

[24]) Sic Meiners. discipl. Gr. hist. T. 1. p. 34., Fr. Jacobs. Gr. poes. hist. in Supplemm. ad Sulzer. T. 1. p. 266., alii. Duplicem coloniam Lydio-Phrygiam statuit Huellmann. Gr. hist. init. p. 104-108.; verum is duplex vitium commisit. Pelopem Thessaliam occupasse nec Pausanias (5, 13, 1.), nec Strabo dicit (8. p. 561. 588.); neque haec Pelopis colonia distinguenda erat ab ea, quam Athenaeus (14. p. 625. f.) memorat. Sole clarius res apparet ex Herodot. 7, 8. 3. 11., Paus. 5, 1. 5. 2, 22, 4. Strab. 7. p. 494. 12. p. 857. — Multa hic confunduntur a Clavier. hist. pr. Gr. temp. T. 2. p. 123., et a Raoul-Rochette. hist. colon. Gr. T. 1. p. 426. sqq.

[25]) Herod. 7, 73. Strab. 10. p. 722. 7. p. 453. 12. p. 875. 14. p. 999. Steph. Byz. v. Βρίγες. Plin. 5, 41. Conon. 1. ibiq. Kanne p. 61. 63. et Heyne p. 171. cf. Gillies. hist. Gr. T. 1. p. 38. Bas., Creuzer. hist. Gr. Fr. p. 170. Stud. T. 2. p. 301., Meletem. T. 1. p. 75., Marsh. hor. Pelasg. p. 35., Ritter. Vorhalle p. 254 sq.

[26]) Sic Clavier. hist. T. 1. p. 76., qui hanc sententiam confirmare studet Hyagnidis, Marsyae, Olympi nominibus Phrygiis, quos cum Orpheo, Musaeo etc. ad idem poesis genus refert; quasi inflati tibicines vocandi essent *poetae*. Nec tibiarum, nec quilibet alius flatus, ad poesin pertinet. Deinde hi Orpheo multo sunt juniores.

que certa lege historica demonstrari potest, quanam dialecto Graeca primi illi poetae usi sint: nam Graeco ore eos cecinisse per se apparet.

XXVI.

Quaenam dialectus prior apud Graecos orta, et in quanam Graeciae regione in primis exculta sit, jam veteres vario consilio et eventu exquirere coeperunt; sed quid in hac quaestione profecerint, propter rerum traditarum penuriam vix accuratius hodie a nobis dijudicari potest. Haud parvi in hac re aestimandum est Metrodori testimonium, quo Dorica dialectus *ὁμολογουμένως* antiquissima a Graecis est habita [27]), qua Orpheus quoque usus sit. Deinde idem auctor refert, post Doricam dialectum ortam esse Aeolicam, tum Jonicam, denique Atticam. Quae narratio quum aliis multis argumentis, ex accurata Graecae antiquitatis cognitione petitis, tum ratione, quae in his rebus plurimum valet, defendi potest. Sunt quidem, qui epicum Homeri sermonem omnium dialectorum antiquissimum, et universae olim Graeciae communem, neque aliam ante Heraclidarum reditum Graecis notam fuisse arbitrentur [28]). Epicus autem sermo idem est ac Pelasgicus, indeque ortam esse oportet omnem dialectorum diversitatem, ex eorundem virorum doctorum sententia. At hi ipsi viderint, quomodo e sonora illa et cultissima epicorum poetarum lingua, quam

27) ὁμολογουμένως δὲ δι' ἑκατέρας τῶν ἱστορικῶν συνάγεσθαι τὸ πρεσβυτάτην εἶναι τῶν διαλέκτων τὴν Δώριδα. — κεχρῆσθαι δὲ τῇ Δωρικῇ διαλέκτῳ καὶ τὸν Ὀρφέα, πρεσβύτερον ὄντα τῶν ποιητῶν. ap. Jamblich. vit. Pythag. 34, 242. p. 476. Kiesl. cf. supr. p. 36. Quae apud veteres de Dorica dialecto serius orta, et post Heraclidarum demum reditum inter Graecos exculta, passim leguntur, ex sanis judicandi regulis nonnisi ad Peloponnesi incolas referri possunt (ut ap. Paus. 2, 37, 3. quem locum perperam cepit Creuzer. Symbol. T. 3. p. 164. (176.), aliique).

28) Sic Squire, Essai. p. 199., Fischer. ad Weller. T. 1. p. 38., et Fr. Thiersch. de Hesiod. p. 38 sq. cf. p. 46., qui in tota antiquitate nihil nisi epica et Pelasgica inter se confusa videt.

Pelasgicam vocare malunt, scabrae horridioris Dorici sermonis formae et flexiones enatae sint, in quibus explicandis frustra, ut opinor, desudaveris. Immo accurata diversarum dialectorum cognitio et comparatio certissimis argumentis aliquando docebit, Doricum sermonem, et, qui huic cognatissimus est, Aeolicum, et Jonicae et Atticae dialecti formas in se includere, iisque omnino quasi pro fundamento fuisse. Alii eo delapsi sunt, ut censerent, antiquissimam, omnibus Graecis communem, linguam, nescio quam omnium dialectorum misturam fuisse, e qua, ut ex Anaxagorae turbulentissimo chao hic rerum ordo, singulae dialecti post infinitum temporis intervallum prodierint.

Jonicam dialectum in Asia demum ortam, eaque antiquum Graecae linguae robur fractum esse, ipsi veteres testantur [29]. Itaque continuo falsa est eorum opinio, qui illam ex antiqua Graecia derivant. Cultissimus Homeri sermo parvula antiquioris vestigia servat. Notae sunt Aeolicae verborum formae, quae apud Homerum satis frequentes reperiuntur; et frequentiores etiam apud Hesiodum Boeotium; resederunt quoque usitatissimae genitivorum formae in *οιο* et *αο* exeuntes, quae e reliquis dialectis vel prorsus fere evanuerunt, vel Homerica imitatione retentae sunt: epica autem dialectus illas servavit, quandoquidem versui heroico accommodatissimae sunt [30]. Omnino omnibus sequentibus poetis Homericus sermo perpetuum propositum fuit exemplar, ad quod suam linguam conformarent, et quocum aliam quamlibet dialectum temperarent. Nam una dialecto nullus poeta pure usus est. Verum haec nunc missa facio.

---

29) Hephaest. p. 234. Gaisf.: *ἐλυμήναντο τῆς διαλέκτου τὸ πάτριον.* cf. Mueller. Dor. T. 1. p. 15.

30) Paucis hic attingimus rem, quae longa explicatione digna est; nam nondum sufficiunt, quae hactenus prolata sunt, ut a Koeppenio (de Homero p. 233.), a Mansone (de Hesiod. in Supplemm. ad Sulzer. T. 3, 2. p. 74.) aliisque multis. —

Quantam vim Doriensium turbae, per totam fere Graeciam excitatae, in Graecorum quoque linguam exercuerint, longa seculorum vetustate obscuratum hodie est, neque ipsis olim Graecis certis vestigiis cognitum. Achaeos et omnes omnino Peloponnesi incolas ante Heraclidarum reditum alio ore loquutos esse, quam, quo postea usi sunt, Dorico, veteres tradunt [31]); qualis autem pristina eorum lingua fuerit, ipsi ignorasse videntur. Epicum sermonem, qualem apud Homerum cognoscimus, non traductum esse ex antiqua Graecia ad Asiae litora, sed in nova patria demum formatum, quum aliarum gentium frequente usu et consuetudine, tum, quia Jonibus, in Asiam transmigraturis, statim ab initio se adjungerent Pelasgi Arcadii et Euboeenses [32]); satis, ut opinor, in oculos incurrit. Si autem epica dialectus communis omnium Jonum Asiaticorum lingua Homerica aetate fuit (cui sententiae nihil certe obstat), facile est intellectu, quantopere ea, utpote quae satis multum antiqui roboris servet, sequente aevo diffluxerit et quasi effeminata sit. Jam vero si ab Homerica aetate in antiquiora ascendimus tempora, quibus Graeca natio nondum disjecta erat in diversissimas terrae partes: quam plenum et validum fuisse verborum sonum oportet! qui quidem serioribus Graecis, ubi antiquior lingua servata erat, horridior et incultior videbatur. Sic mollibus Herodoti auribus Pelasgorum, circa Crestonem et Placiam habitantium, lingua, barbari quid sonabat [33]). Hinc facile conjectura fieri

[31]) Arriphon, obscurus caeteroquin homo, ap. Pausan. 2, 37, 3. — Post colonias Jonicas in Asiam transvectas, omnes Peloponnesii Δωριστὶ loquuti sunt, vel Αἰολιστί; nam utraque dialectus cognatissima est, et magis nomine quam re distinguenda: nec dubito, utrique eandem antiquitatem assignare. Non satis accurate de hac re nuper verba fecit Marsh. p. 43-45.

[32]) Res satis nota vel ex uno Herodoti loco, 1, 146. cf. Marsh. p. 53.

[33]) Vid. Squire Essai. p. 179., Monboddo. de orig. ling. T. 1. p. 417. 427-429., Marsh. p. 28-32., O. Mueller. Dor. T. 1. p. 6. — Perperam judicant de la Nauze Mém. de l'Acad. T. 23. p. 116 sq. 126., et Gibert. T. 25. p. 6.

potest de omnium Pelasgorum lingua, scabra ista et aspera cultioribus auribus. Ubicumque vero Pelasgi habitarant, Aeolica dialectus usitata fuit, vel Dorica, ut in Thessalia [34]). Herodotus Aeoles antiquos Pelasgos fuisse contendit [35]). Itaque ab omni parte firmata est Dionysii Halicarnassensis sententia, qua Pelasgi Aeolica dialecto usi sunt [36]). Aeolica autem dialectus in plurimis Graeciae regionibus inde ab antiquissimis temporibus in usu fuit [37]), et quo antiquior, eo asperior habenda est; ut, quod Pausanias de Lacedaemoniorum lingua observat, id nihil dubitem ad antiquissimam transferre [38]). Huc quoque pertinet digamma, quod ipsum inter cascos Pelasgorum, seu Aeolum, spiritus fuit, modo asperius, modo lenius pronuntiatum, et Homerico aevo fortasse jam obsoletius factum; in vetustiore autem poesi adhuc exstitisse vix dubium videtur. Fr. Aug. Wolfius, quem hoc digamma olim irrisisse constat, ipsa hac irrisione viam sibi praeclusit, ne id probaret, quod hodie doctissimo cuique persuasum

---

34) Paus. 10, 8, 3. cf. Strab. 5. p. 220. etc. Heeren. Ideen. T. 3. p. 64. Marsh. H. P. p. 45., alii.

35) Herod. 7, 95.: οἱ Αἰολέες — τὸ παλαιὸν καλεόμενοι Πελασγοί. Horum vero Aeolum antiqua patria eadem Thessalia fuit (Conon. 27. Herod. 7, 176. Diodor. 4, 67.), unde 60. p. bell. Troj. in Boeotiam descenderunt, ibique se conjunxisse dicuntur cum Achaeis, novas in Asia sedes petituris. Hinc dialectus Aeolica in Lesbum transmigravit et in vicinam Troadem, quae postea Aeolis dicta est.

36) Dionys. 1, 89. Nec aliam linguam Herodotus intelligit, qui Pelasgorum linguam sui temporis horridam vocat. Aeolica dialectus Herodoti aetate magis exculta erat; et haud dubie ab antiquiore, quam Pelasgicam vocare malumus, aeque vel magis etiam diversa, quam Homerica ab Herodotea. Caeterum Herodotus duplex tantum discrimen statuit, γένος Δωρικὸν, et γένος Ἰωνικόν; ergo illud in se includit Aeolicum; sicuti hoc Atticum (Thucyd. 1, 2. Strab. 8. p. 383. 9. p. 392.).

37) Strab. 8. p. 333., qui Aeolico ore omnes Graeciae incolas loquutos esse refert, exceptis Atheniensibus et Megarensibus, et aliis perpaucis.

38) Paus. 3, 15. 2. de Alcmanis versibus, qui οὐδὲν ἐς ἡδονὴν αὐτῶν ἐλυμήνατο τῶν Λακώνων ἡ γλῶσσα, ἥκιστα παρεχομένη τὸ εὔφωνον.

est. At hodie viro sagacissimo non amplius de re, quam concedit, lis est, sed de nomine. Digamma vocamus Aeolicum, quia apud Aeoles diutissime conservatum est et scriptura et pronunciatione: per me Pelasgicum dicere licet, dummodo ne mutato nomine rem mutatam esse existimes [39]). Deinde si certum est, Latinam linguam Pelasgicae sive Aeolicae dialecti genuinam aliquando fuisse filiam (quod utriusque accurata comparatio firmis argumentis docet [40]), hinc etiam potest digamma antiquissimae Graecorum linguae vindicari. Hanc autem antiquissimam linguam, nihil mihi certius esse videtur, in iis ipsis locis primum excultam esse, ubi sub Thracum nomine poesis Musarumque cultus olim floruit. Omnes Macedones, Thessali, Boeoti, Strabonis adhuc tempore Aeolico ore loquuti sunt [41]); Parnassi autem accolas eadem vel Dorica dialecto usos esse

39) Nomen Aeolicum defendere multis adductis testimoniis studuit Dawes. Miscell. Crit. p. 113-118. ed. Burges, cf. Marsh. p. 100 sqq. — Digamma antiquissimae linguae vindicat Dionys. 1, 20. Rem, etsi non nomen, quod minus curamus, extra omnem dubitationem ponit inscriptio quaedam ad Olympiam reperta (v. Classical. Journal. Vol. 1. p. 328.), et alia multa, quae collecta vel indicata sunt in Classical Journ. Vol. 16. p. 305., Mus. Crit. Cantabrig. T. 1. p. 356., a Payne Knight. Proleg. in Hom. §. LXXXV. — cf. Gruter. Inscriptt. antiq. T. 1. p. 144., Lanzi Saggio di lingua Etrusca p. 108., Gori Museum Etrusc. T. 1. p. IV., Mazochi Aeneae Tabulae Heracleens. p. 130. 284., Chishull. Antiqq. Asiatt. p. 16., Combe Numm. Vett. pl. 14., Pellerin Troisième Supplem. pl. 5. nr. 2., et quae in hanc sententiam disputavit Marsh. p. 60-79.

40) Cognationem et Graeci et Romani auctores testantur, ut Dionys. 1, 18. cf. 20. 89., Strab. 5. p. 220., Greg. Corinth. p. 285. Koen. — Liv. 1, 7., Quinctil. 1, 6., Plin. 3, 5. 7, 56., Tacit. Anal. 11, 14. cf. Heyne de orig. Gr. Commentt. Gotting. T. 8. p. 31., Marsh. p. 47 sqq., Monboddo de orig. ling. T. 1. p. 425.

41) Strab. 8. p. 333 sq. cf. Court de Gébelin. Monde primitif. Tom. 3. p. 462., Hancarville sur l'origine des arts dans la Grèce, T. 1. p. 256. Clavier. hist. T. 1. p. 9. 78., Raoul-Rochette des colon. T. 2. p. 24. T. 1. p. 142. — De Aetolis idem observat Chishull. Antiqq. Asiatt. p. 105. — Illuc spectat etiam mythica narratio de Aeolo, qui omnem Thessaliam expugnaverit, ab eoque Graeciae incolas dictos esse Aeoles. Apollod. 1, 7, 2., Eustath. ad Dionys. 820., Schol. ad Apoll. Rh. 3, 1093. Nonne antiquissima Aeolis in Thessalia est (Paus. 10, 8, 3.)? Nonne Orpheus Thessalus ex ejusdem

haud ambiguis tenemus vestigiis [42]). Itaque qua tandem ratione aliquis induci potuit, ut et hos et omnes reliquos Graeciae populos, Homerice, id est *Pelasgice*, loquutos esse opinaretur [43])?

Aeoli nepotibus fuit? Nonne a Piero, Aeoli nepote, et Orphei avo, Musarum cultus inductus est (Heraclid. Pont. ap. Plut. de mus. p. 1132. a. cf. Heyne de Mus. Comm. Gott. T. 8. p. 41 sqq.)? Denique nonne omnes Aeolicae coloniae, quae ante Trojanum bellum deductae esse traduntur, e Thessalia profectae sunt (Raoul-Roch. T. 2. p. 13.)?

[42]) Notum est, Delphicum oraculum Dorienses condidisse. Doriensium vero antiquissima sedes est Thessalia. Ut Dorienses et Aeoles, ita Delphi Βύσιος dixerunt pro Πύθιος (Kannius, Mythol. Gr. p. 93. perperam Πύσιον vocat), solleuni litterarum Σ pro Θ, et Β pro Θ, permutatione (Mattaire p. 140. St. cf. O. Mueller. Dor. T. 1. p. 212.). Similia v. ap. Plutarch. Quaest. Gr. T. 2. p. 292.: οὐ γὰρ ἀντὶ τοῦ Φ τῷ Β χρῶνται Δελφοί (καθάπερ Μακέδονες, Βίλιππον καὶ Βαλακρὸν καὶ Βερονίκην λέγοντες), ἀλλ' ἀντὶ τοῦ Π. καὶ γὰρ τὸ Παθεῖν Βαθεῖν, καὶ τὸ Πικρὸν Βικρὸν ἐπιεικῶς καλοῦσιν. — Greg. Corinth. p. 270. Koen.: οἱ Αἰολεῖς τὸ Β τῷ Ρ προσνέμουσι, ὅταν τῷ Ρ ἐπιφέρεται Τ, ἢ Κ, ἢ Δ, οἷον Βρυτὴρ ἀντὶ τοῦ ῥυτὴρ, Βράκος ἀντὶ τοῦ ῥάκος, Βρόδον ἀντὶ τοῦ ῥόδον. cf. Mus. Crit. Cantabr. T. 1. p. 34. — Simili modo Aeoles pro Θ usi sunt Φ. v. Greg. p. 289. Hoc autem Φ videtur antiquus Pelasgorum spiritus fuisse; cf. Marsh. p. 93.

[43]) Apud Thierschium (p. 39.) non modo Attici, Euboeenses, aliique insulani; Peloponnesii, Arcades, etc. Homerice fari didicerunt, sed etiam Boeoti et Phocenses! — Caeterum nihil curamus eos, qui Graecam linguam ab Hebraica (ut Sam. Squire, Essai, p. 164. 172. 177., et ingens aliorum turba), vel ab Aegyptia derivant (ut Kircherus, et Monboddo. T. 1. p. 451 sqq. 468. etc.): has ineptias jam olim jure derisit Bochart., litterarum orientalium sui temporis peritissimus, Op. Vol. 2. p. 832., Geograph. sacr. p. 58. 60., et Freret. Mém. de l'Acad. T. 23. p. 245. — Omnino sicuti omnia, quae Graeci primis illis temporibus ab Aegyptiis petiisse dicuntur, fabulosa et contra omnem historiae fidem sunt, ita quidquid de Orpheo in Aegyptum profecto, ac de deorum cultu adeoque poesi illinc derivata fabulantur, a serioribus Graecis effictum est, nec ante Manethonem Aegyptium (ap. Euseb. Praep. Ev. 1. p. 47.), et Diodorum cognitum (1, 23. 92. 96. 3, 64. 4, 25. 5, 49. 64. 75.). Herodotus, cupidissimus harum rerum scrutator, unum tantum hymnum invenire potuit apud Aegyptios ἀμοίβαιον (2, 79.). Carmina Aegyptia jam Platonis aevo aucta esse videntur (de legg. 2. p. 657. 7. p. 798.); et sequente aevo incredibile dictu est quanta copia sub fabuloso Hermetis Trismegisti nomine procusa sit (Diodor. 1, 49. 53. 72. 17, 50. Plutarch. de Is. et Os. p. 466 sq. 435. 410., Clem. Alex. Str. 6. p. 757. Protrept. p. 252., Eudoc. p. 305.), in primis sub Ptolemaeorum imperio (Tychsen. de litteris Aegypt. p. 31.). Noli autem tibi persuadere, quidquam horum ante Herodotum exstitisse, nedum ante

XXVII.

Vagum istud et incertum Pelasgorum nomen jam veterum quorundam vaga judicia magnopere detorsit et elusit. Alii enim, vel quod Homerus nullam certam sedem iis in antiqua Graecia tribuit, sed et in Asia et in Creta disjectos memorat [44]), vel vana nominis etymologia decepti [45]), multivagam sibi finxerunt et erraticam nationem, nullis fixis sedibus habitantem. Ex hoc numero fuerunt Hellanicus, Ephorus [46]), Dionysius Halicarnassensis, aliique minorum gentium historici. Alii contra, disertioribus suae antiquitatis testimoniis fidentes, Pelasgis certas et definitas sedes assignarunt, ut Herodotus, Thucydides, alii. Utraque sententia, etsi

---

Homerum (quod putant Mignot. Mém. de l'Acad. T.36. p.95., aliique Francogalli, et Zoëga, de Obel. p.502., cf. Dissert. p.295., qui in antiquissimis obeliscis hymnos hieroglyphice insculptos esse contendit p.183.; et Plessing. Memnon. T.1. p.539.). — Itaque qui Orphei poesin, nomen, adeoque natales ex Aegypto derivant, mirum est quantopere ii totius antiquitatis fidei illudant, quam in unius Diodori intestabile nomen positum volunt (ut Souchay. Mém. de l'Acad. T.12. p.7., Depuis, origine de tous les cultes T.1. p.133., Clavier. hist. T.1. p.77., Schmidt. Opusc. p.108. 123., Tiedemann. p.10., Suedorf. de hymn. vet. p.49., Prichard. Analys. of the Egypt. Mythol. p.3. 12., Gail. de cultu Bacchi p.100. etc. Saniora vid. ap. Foucher. Mém. de l'Acad. T.35. p.76., Kanne. ad Conon. p.14., Anal. Philol. 40. etc.). Orpheum ex Aegypto fuisse oriundum, inepta conjectura recentiorum est, quam sibi eripi vix passus est Creuzer. Symbol. T.3. p.149. (163.); apud Pausaniam saltem 6, 30, 8. nihil legitur hujuscemodi.

44) Il. 2, 840. Od. 19, 177. At hos haud dubie fugit Dodona Pelasgica et Argos Pelasgicum apud eundem Homerum.

45) *Trans mare advenae*, a πέλαγος, sicuti μίγω μίσγω, ἴχω ἴσχω etc. v. Kanne, Verwandtschaft des Teutschen und Gr. p.47. Urkunden p.389. 618., Fr. Thiersch. de Hesiod. p.36., Hermann. ad Creuzer. p.68., Bendtsen. in Misc. Hafn. T.1, 2. p.118. Verior videtur etymologia esse, qua significant *ruricolas*, a πέλω et ἀγρός, nam antiquior nominis forma fuit πελαργοί. v. O. Mueller. Orchom. p.124.

46) Hellanic. ap. Dionys. Halic. 1, 17. 28. Fr. p.104. St. Hecat. Fr. p.41. Cr. Ephor. ap. Strab. 5. p.337. (220.), Diodor. 5, 80. Marx Fr. p.157. cf. Mueller. Aegin. p.9 sq. Orchom. p.445 sq.

diversissima, in eo tamen congruisse videtur, ut Pelasgos ex ipsa Graecia oriundos statueret, neque e barbaris terris advenas; siquidem illa Arcadiae, vel Argolidis, haec Thessaliae, vel Boeotiae, vel Atticae indigenas eos faceret [47]). Qui inter veteres ex Asia in Graeciam venisse Pelasgos dixerit, ego novi neminem; itaque eo magis culpanda est recentiorum conjectandi libido, a qua ne Marshius quidem, qui doctissime de iis egit, recessit [48]). Similem errorem mihi videntur errasse, qui oppositionem quandam inter Hellenes et Pelasgos statuant, quam nec Herodotus, nec Thucydides, nec antiquissimus Homerus agnoscunt. Si omnia, quae de hac re comperta habemus, inter se comparaverimus, facile apparet, Pelasgos, ut apud Homerum Achivos, et postera aetate Hellenes, magnam aliquando inter Graeciae populos auctoritatem nactos, et ad tempus certe tuitos esse. Sed nec initium nec finis Pelasgici imperii notus; et utrumque heroicae aetatis memoriam longe superat; ac illud in obscurissima ista secula recedit, quae antiquissimi mythi vix attingunt. Fuere quidem etiam tum, quum historiae lux res Graecas collustrare coepisset, magna Pelasgorum

47) Autochthones sive aborigines *Arcadiae* Pelasgos dicit Hesiodus ap. Strab. 5. p. 337. (quem locum respexisse videtur Apollodor. 3. 8, 1.):

Υἱέες ἐξεγένοντο Λυκάονος ἀντιθέοιο,
Ὅν ποτε τίκτε Πελασγὸς ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσιν.

et, ut satis clare apparet e Pausaniae loco (8, 1, 2.), Asius etiam:

Ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσι
Γαῖα μέλαιν᾽ ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

Qui versus, quamvis ad Thessaliam relati, aut ad Atticam, paululum restringunt recentiorum rationes de Pelasgis, statim ab initio campos incolentibus, et agriculturam exercentibus (ut O. Mueller. Orchom. p. 126., Minerv. Pol. p. 3., Dor. T. 1. p. 236 sq.). In ejusmodi autem veterum poetarum testimonia, quasi pro fundamentis posita, Ephorum in primis suum de Pelasgis systema condidisse, mihi admodum probabile videtur.

48) Eidem conjecturae adhaerent Casaubonus, ad Strab. 5. p. 327., et Marshii populares, Squire Essai p. 142., Cumberland. de orig. gent. p. 379., Monboddo. p. 414 sq., aliique.

gorum turba; verum haec, ut vir acutissimus nuper conjecit [49]), omnino secernenda est a mythico grege. — Ut ante Doriensium migrationes nomen Helladis exiguos tantum fines in Thessalia complectebatur, quorum rex apud Homerum Achilles est [50]); ita diu ante aetatem heroicam primitiva Pelasgorum sedes Pelasgiotis sive Pelasgia fuisse videtur in eadem Thessalia inter Peneum et Olympum [51]). Inter Pelasgos autem et Hellenes situm est Achivorum imperium, quod Homerus optime adumbravit. Quo tempore hoc florere coeperit, non diserte quidem tradiderunt veteres; verum probabile est, ejus initium in ipsis heroicae aetatis primordiis quaerendum esse. Jam quid vero similius esse potest, quam ipsam aetatem heroicam Pelasgico imperio finem tulisse? etsi confitendum nobis est, ne vestigium quidem hujus rei apud veteres apparere. At quidni in re tam desperata et tam conclamata modestam conjecturam proponere liceat? quae, si viris acutioribus placuerit, haud contumaciter se recipiet, unde profecta est. Cum autem certum sit, a Pelasgis in primis Graecorum mysteria originem ducere; deinde cum aeque certum sit, mysteria tum demum oriri solere, cum sacra, quae aliquando per Graeciam publice colebantur (nam quis crediderit mysteria cum Graecorum origine conjuncta esse?), potentiorum populorum imperio suppressa, in templorum claustra

49) Niebuhr. hist. Rom. T. 1. p. 66 sqq. De horum Pelasgorum primitiva sede non possum cum viro doctissimo consentire. — Caeterum hi Pelasgi intelligendi sunt, quos Plutarchus (v. Rom. 10. T. 1. p. 76. R.) non per Graeciam tantum, sed per maximam etiam hujus orbis partem disjectos esse tradit.

50) Gillies. hist. Gr. T. 1. p. 5., Marsh. p. 8. 24 sq., Thiersch. de Hes. p. 12. Larcher. Herod. T. 7. p. 237., Huellmann. init. hist. Gr. p. 114., O. Mueller. Aegin. p. 15. 19. 155.

51) Larcher. Herod. T. 7. p. 220., Mueller. Dor. T. 1. p. 203. — Argolis quoque (Mueller. Aegin. p. 9.), et Arcadia, totaque Peloponnesus, et universa Graecia dicta olim est Pelasgia, Marsh. p. 3. 7. 23. 25. 50. — Thessaliam, antiquissimam Pelasgorum sedem, confirmat etiam Homeri Argos Pelasgicum, et Dodona Pelasgica.

se receperint, ibique in sancto recessu posthac commissa sint; quodnam temporis momentum huic rei accommodatius esse potest, quam ipsum illud efflorescente heroica aetate suppressum Pelasgorum imperium? At non uno eodemque tempore magna illa natio victa et subacta est. Plures libere agendi potestatem retinuerunt usque ad Doriensium migrationes, et, quae res paulo ante accidit, ad Thebas, Pelasgicorum sacrorum eascam sedem, a Boeotis Aeoliis suo imperio subjectas [52]). Quid? quod nullum mysteriorum institutum his temporibus potest posterius esse, quia posthac nihil amplius reperimus, quod origini eorum ansam praebuerit. Quid? quod nullus eorum, qui de constantissima Graecorum fama mysteriorum auctores vulgo traduntur, Orpheus, Musaeus, Eumolpus, omnis antiquitatis consensu serius vixit. Nonne hoc maxime memorabile est? Quomodo autem id, quod integro saltem seculo Homero superius est, et per integrum seculum jam floruit, Homerica aetate *vix ortum*, ut vulgo fit, vocari potest?

XXVIII.

Longam et operosam Aeolicarum coloniarum molitionem multum ad genuinae Orphicae poesis interitum contulisse, jam supra a nobis monitum est. Fuere jam inter veteres, qui illarum historiam fusius enarrarent, ut Hellanicus, Ephorus, et haud dubie etiam Theopompus; et Anticlides Atheniensis [53]); nobis eadem e Strabonis potissimum parum accurata nar-

---

[52]) Samothracia mysteria ex Herodoti rationibus Doriensium irruptione in Peloponnesum antiquiora non esse, demonstratum nuper ivit O. Mueller. Orchom. p. 440., quamvis ejus rationes non ab omni parte firmatas habeam. Sed fuerint tum demum in Samothracia orta; per me licet: num in ipsa Graecia eadem tam sero orta putemus? Nonne aeque luculenter e Pausania (9, 25, 6.) apparet. Pelasgorum mysteria statim post Thebas ab Epigonis dirutas (ergo jam ante bellum Trojanum) in ipsa Boeotia condita esse?

[53]) Hellanicus ἐν πρώτῳ Αἰολικῶν. Tzetz. Schol. ad Lycophr. T. 2. p. 1018. Sturz. Hell. Fr. p. 46., Ephorus libro 3. historiarum, vid. Meier Marx. Fr. p. 132 sq. Theo-

ratione nota est. Primam coloniam, Pisandro et Oreste ducibus, Amyclis profectam esse, et insulam Tenedum occupasse, Pindarus tradit [54]). Sed ea omnino mythica est, et jam Graecorum acumina magnopere torsit. Ut enim rite res procederet, Orestem, decrepitum senem (octogenarium enim fuisse oportet), in Arcadia animam efflasse de nihilo finxerunt, et hinc Pisandrum colonos in Tenedum traduxisse [55]). At cum per se parum probabile est, Orestem ea aetate novam expeditionem suscepisse, tum, quo tempore Dorienses Peloponnesum expugnasse narrantur (et haec res omnium coloniarum Aeolicarum causa fuit), Orestes jamdudum mortuus erat, et Tisamenes, filius ejus, Achaeorum imperium tenebat. Ergo videndum est, ne Orestes pro posteris suis sit positus. Similis error secundae, quam vocant, coloniae narrationem implicat. Haec enim e Strabonis confusis rationibus, a quibus recentiores nondum recesserunt, sexaginta post Trojam captam annis e Peloponneso profecta est, Penthilo duce; viginti igitur annis ante Heraclidarum reditum. Sed non est obscurum, cur hoc potissimum tempore patriam reliquisse dicatur. Etenim tum

pompum vero de eodem argumento exposuisse, inde potest colligi, quod is historiam Graecam auspicatus est ab Heraclidarum reditu. — Anticlides in decimo sexto libro τῶν νοστῶν ap. Athen. 11. p. 466. c., ubi dulcissima fabula de Enalo, in mare prosiliente, ut puellam servaret; cf. Plutarch. conviv. sept. sap. 20. Wyttenbach. Animadvv. T. 1. p. 987. — Inter recentiores eandem materiem tractarunt Marsham. Chron. Can. p. 343. ed. Londin., Freret. Defens. Chronol. p. 67. 198., Santocruc. de statu et fat. colon. p. 207., Larcher. Herodot. T. 7. p. 417., Clavier. hist. T. 2. p. 46., Raoul-Roch. hist. colon. T. 2. p. 446. T. 3. p. 31., Hegewisch. p. 118., et nuperrime O. Mueller. Orchom. p. 398. p. 477. Dor. T. 1. p. 65.

[54]) Nem. 11. 41. (31. B.) ibiq. Schol. cf. Strab. 13. p. 582. c. (872. d.) Schol. Eurip. Orest. 1645. Vellej. Pat. 1, 2. Tzetz. ad Lycophr. 1374. T. 2. p. 1019. Mueller., Hellan. Fr. p. 46. Sturz.

[55]) Tenedos insula *Aeolica* vocatur ab Hellanico v. Geogr. Minor. T. 4. p. 39. Hudson. cf. Dionys. Perieg. 537. ibiq. Eustath. Herod. 1, 149. 151. Caeterum nondum exputare potui, cur haec colonia dicta sit *Aeolica*, quum nonnisi Achaeis Peloponnesiacis constiterit.

in Boeotia, unde Penthilus transfretaturus erat in Lesbum, Aeoles Boeoti, a Thessalis fugati, advenerant, quibus Thraces et Pelasgi debellandi erant [56]). Quod ut rite procederet, Penthilus Boeotis commodum auxilium ferre debebat; ideoque magnam Boeotorum partem, qui par pari referre vellent, Penthili coloniae se adjunxisse tradunt. Aeoles Boeotos aliosque populos ad Penthili coloniam confluxisse [57]), certissimum est; sed narrationem de auxilio, quod is Boeotis, sexaginta annis post Trojam deletam e Thessalia redeuntibus, tulisse dicitur, omnino fictam habeo, quum colonia illa ex accuratiore temporum computatione circa 100 p. Troj. c. e Peloponneso profecta sit [58]). Caeterum ipsum Penthilum colonos Aeolicos in Lesbum deduxisse, Pausanias narrat (3, 2, 1.), qui haud dubie ex integro fonte hausit. Quod Strabo tradit de eodem Penthilo, in septentrionalem Thraciam profecto, ibique mortuo, id pro errore habendum, qui, ut supra demonstratum est, ex antiquissimi terrarum nominis inscitia prodiit. A Penthilo urbs Lesbia Penthile nomen traxit; Penthilidae usque ad Pittaci tyranni tempora Mitylenen incolebant [59]). Pars ejusdem coloniae in Euboea resedit, ibique procul dubio Oresten urbem in Orestis honorem

---

[56]) Hi Αἰολεῖς Βοιωτοὶ Arnen, antiquam Aeolidem, aliquando occupaverant (Paus. 10, 8, 3. etc.), de qua recte sentit Clavier. hist. T. 1. p. 57. 92. ad. Apollod. T. 1. p. 93., qui non vituperandus erat Muellero, Orchom. p. 140.

[57]) Strab. 9. p. 402. b. (617. c.) 13. p. 582 sq. (873 sq.); qui ob magnam Boeotorum copiam eandem coloniam *Boeotiam* vocatam esse tradit. Ut autem vero simile est, *Aeolicam* vocatam esse ab Aeolibus Boeotis, ita non protinus rejicienda est eorum ratio, qui idem nomen explicant διὰ τὸ ἐκ διαφόρων εἶναι (Tzetz. ad Lycophr. 1377., Eustath. ad Dionys. 820.), vel διὰ τὸ ἐκ πολλῶν ἐθνῶν συνηθροῖσθαι (Menecles ap. Etym. M. Αἰολεῖς.); apud Lycophr. l. l. πολύγλωσσος audit.

[58]) Utramque rem etiam Mueller. Orchom. p. 385. ad unum tempus comprimit; etsi ille locus haud facile conciliari poterit cum p. 477.

[59]) Steph. Byz. v. Πενθίλη. Penthilidae ap. Aristot. Polit. 5, 10. (5, 8, 13. Schneid. quem cf. p. 311.), Myrsil. Lesb. ap. Plut. de prud. anim. 2. p. 373. Mueller. Orchom p. 477.

condidit [60]). Non recto autem itinere Penthilus e Boeotia in Lesbum trajecit; sed variis casibus jactatus et saevitia maris quintodecimo demum anno sedem ibi fixit [61]). In his igitur satis longis erroribus plures maris Aegaei insulas occupare poterat; neque dubito, quin eodem tempore in insula Tenedo quoque colonos reliquerit: quae res posthac ipsi Oresti tributa est. Haec conjectura majorem etiam vim acquiret, si reputaverimus, secundum omnes veterum narrationes Penthili tantum coloniae Aeoles Boeotos se adjunxisse. Horum autem Boeotorum plures certissimum est Tenedum occupasse, et sicuti inter Lesbios et Boeotos, ita etiam inter hos et Tenedios perpetuam *συγγένειαν* conservatam esse, quae in bello Peloponnesiaco maximi fuit momenti [62]). Quam pure autem Boeoti illi Lesbii patriam dialectum retinuerint, neque, ut Jones in Asia, antiquum ejus robur fregerint, Heraclidis Pontici testimonio constat [63]).

Subtilior quaestio, de coloniarum Aeolicarum historia instituta, docebit aliquando, ut spero, omnia, quae de iis narrantur, ad duas expeditiones posse revocari; quarum altera statim post Doriensium adventum ab Orestis filiis suscepta est; altera viginti vel triginta annis post ab Orestis nepotibus. Illa prior est Jonicis coloniis, et Lesbum potissimum petiit; haec facta est, quum Jones emigrare coepissent, et trans Lesbum in

---

60) Hecataeus ap. Steph. Byz. et Hesych. v. *ὀρέστη*. — Strab. 10. p. 417. a. cf. Raoul-Roch. T. 2. p. 447 sq.

61) Ita Vellejus certe narrat 1, 2, 5. qui non diserte quidem Penthilum memorat, sed Orestis liberos omnino.

62) Thucyd. 3, 2. 7, 57. — Caeterum e Lesbo Aeoles trajecerunt in Troadem, quae regio deinde Aeolis dicta est. Lesbos, Aeolum Asiaticorum metropolis, ap. Eustath. ad Dionys. 536. cf. Strabo 401. e. (616. d.)

63) Apud Athen. 14. p. 626. c. cf. Gillies. hist. Gr. T. 1. p. 103 sq.

ipsam Asiam trajecit [64]). Illa quam vim habuerit ad genuinam Orphei poesin immutandam, e supra dictis clare apparet. Paulo ante Thraces, vetusti illi Musarum cultores, et e Boeotia et e Thessalia fugati erant. Quibus insignibus argumentis extra omnem dubitationis aleam positum est, poetarum, qui vulgo Thraces vocantur, aetatem in seriora tempora incidere non potuisse, nisi in seculum undecimum ante Chr.

64) Pausan. 7, 6. 2. 3, 2, 1 Vellej. 1, 4, 4. Strab. 13. 583. e. (873. b.) Herod. vit. Hom. 38.

Μυστηρίων τε τῶν ἀποῤῥήτων φάνας ἔδειξεν Ὀρφεύς.

Caput III.
ORPHICAE POESIS NATURA

Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς τ' ἡμῖν κατέδειξε, φόνων τ' ἀπέχεσθαι.

XXIX.

Non sine ambagibus jam eo perventum est, ut gravissimam eandemque difficillimam quaestionem aggredi liceat. In duobus praecedentibus capitibus, id potissimum spectavimus, ut, quo tempore, et ubi locorum poesis Orphica orta sit, demonstraretur. Quibus in disputationibus multa nobis obstruxerat et veterum et recentiorum temporum temeritas. Argumenta nostra ex ipsius antiquae historiae Graecae subtiliore cognitione et accuratiore interpretatione petita sunt: e fabularum, quibus Orphei persona abundat, deverticulis raro aliquid exsculpsimus. Quum igitur ne contumacissimus quidem amplius dubitare queat, floruisse in antiqua Graecia ante aetatem Homericam poesin Orphicam; jam nobis declarandum est, qualis illa fuerit, et cuinam usui destinata. Ac quantum ad hanc quaestionem solvendam in superioribus, quum singulorum argumentorum gravitate per se aestimata, tum omnium rationum pondere in unum collecto, prolatum sit, in animum revocare oportet. Hic vero iterum nobis cum difficultatibus conflictandum est, quas in ipso limine objecit non quidem ipsa Graecorum antiquitas (haec enim velut uno ore ad sanctas Deorum religiones poesin Orphicam accessisse testatur); verum recentissimorum quorundam scriptorum audacia, quae conjecturis suis indulgere, quam totius antiquitatis voci auscultare, maluit.

Quum ex iis carminibus, quae Graeca antiquitas nobis sub Orphei nomine transmisit, omnino non possit colligi, quaenam vera et genuina Orphicae poesis, qualem ante aetatem Homericam circa Olympum et Heliconem floruisse oportet, natura et indoles fuerit; facile apparet, quid difficultatis adeoque molestiae exhauriendum sit ei, qui hanc rem exponendam sibi sumpserit. Sunt vero inter Orphicorum carminum farraginem, quae et ad lyricum, et ad didacticum, et ad epicum genus pertineant [1]). Lyrica et didactica carmina ab ipso Orpheo cantata esse, quum per se probabile est, tum antiquitatis consensus docet. Per se probabile est, quoniam nostri ingenii indoles declarat, hominem, simulatque ad culturam animi proficere coeperit, et longe se supra animalem naturam elatum animadverterit, suos ipsius animi sensus verbis exprimere et cum aliis communicare gaudere. Quum vero aliquis suos ipsius animi sensus eloquitur, non est obscurum, eum lyrice loqui. Quam facile vero poesis lyrica in didacticam, quippe quae ipsa subjectiva, ut hac voce utar, est, transire soleat, quin immo saepius cum ea coalescat, vix est, quod moneam. De epicis autem carminibus, quae Orphei nomen prae se ferunt, jam supra professus sum, ea seriorum temporum temeritati deberi: atque in hac sententia persisto, antiquiorum auctorum testimoniis fretus.

Ibycus Rheginus, poeta lyricus, qui diu ante Onomacritum, a quo rerum Orphicarum osores omnem poesin Orphicam profectam esse volunt, vixit, Orpheum celebratissimum poetam vocat; eundemque Pindarus laudatissimum lyricae poesis patrem (*φορμικτὰν ἀοιδᾶν πατέρα, εὐαίνητον Ὀρφέα*)

---

[1]) Mirum sane, ni Orpheum, quippe quem in alia omnia distraxerint, ad dramaticam etiam poesin conjecerint. At cave, ne hoc extorqueas e Nicephori Gregor. hist. Byz. 10. p. 289. ed. Boivin: *δότε μοὶ τὴν Ὀρφέως ἐν τραγῳδίαις δύναμιν.* Lege totum locum, et videbis, quomodo haec intelligenda sint.

'Οργία) appellat. Aeschylus, Pindaro aequalis, omnia Orpheum lyricae poesis vi superasse dicit. Ergo jam illo tempore maxima fuit poesis patri gloria et auctoritas. Ergo non potuit Onomacriti, quem Aeschyli Pindarique aetate superstitem fuisse oportet, fraudibus fieri, ut Orpheus poeta tum primum prodiret, ejusque nomen per totam Graeciam tantopere celebraretur: nisi cum quibusdam censere malis, Onomacritum, quem ipsius Pindari praeceptor, Lasus, in fraudibus deprehendit, illis poetis tam turpiter imposuisse. — Deinde Euripides etiam Orphicae poesis praestantiam insigniter laudat in Medea, Alcestide, Iphigenia Aulidensi, et Bacchis [2]). Num Euripidem quoque ad ea carmina respexisse putemus, quae Onomacritus sub Orphei nomine composuisse fertur? Si hoc verum judicas, quod ne probabile quidem est, objiciam tibi Platonis, summi philosophi, auctoritatem, qui aliorum fraudes a genuinis Orphicis carminibus (si genuina vocare licet, quae genuinae rei fidam imaginem reddunt) disertissime distinguit; objiciam Pausaniae quoque, acutissimi harum rerum scrutatoris, testimonium. Atque ille [3]) Orphicos hymnos eximie laudat, vetans, ullum carmen cantari debere *τῶν νομοφυλάκων* examini non subjectum (*ἀδόκιμον Μοῦσαν*), etiamsi dulcius sit hymnis Orphei; qui autem probi et honorati viri reperti sunt, inquit, quique bene de republica meriti, eorum poemata publice canunto, sed absque mu-

[2]) Haec et superiorum poetarum loca collecta videbis sup. p. 85. — Caeterum jam Aeschyli temporibus loquutio ἥδιον τῶν Ὀρφείων ὕμνων, vel κάλλιον τῶν Ὀρφέως μέλων, in proverbium abiisse videtur; et originem suam fabulis, quae inde ab antiquissimis temporibus (non χθὲς καὶ πρώην) de Orphicae poesis vi et efficacia traditae sunt, debet. Praeter Aeschylum et Euripidem hoc proverbium laudat Plat. de Legg. 8. p. 829. d. Tam dulcia autem Orphei carmina numquam exstiterunt in rerum natura. Immo hymni Homeridarum et elegantiores et dulciores habiti sunt; Orphici vero θεολογικώτεροι.

[3]) Plat. de Legg. 8. p. 829. d. Hic, et qui statim laudabuntur Platonis loci, cum aliis pluribus conjunctim allata sunt p. 102.

sica [4]). Quo loco non obscurum est, Platonem Orphicos hymnos ad sacrum poesis genus referre [5]). Idem auctor meliorem poesin Orphicam respicit in Philebo, Cratylo et Phaedro, et aliquot versus affert, ex hymnis, ut Schleiermachero aliisque placet, petitos; quos, etiamsi non ex ipso divino Orphei ore fusos, tamen hoc poeta dignos judicavit. Acriter contra invehit in falsarios Orphicorum carminum auctores. Deinde Pausanias plus uno loco meliora a suppositis distinguit. Classicus est locus et nostrae disputationi accommodatissimus, ex quo eximium antiquitatis criticum facile agnoscas. "Quisquis, inquit [6]), vetustae poesis gnarus est, ejusque naturam et indolem perspexit, ei non potest dubium esse, quin adhuc supersint Orphei hymni: horum autem quisque brevissimus est, et exiguus tantum numerus exstat. Ornatus major est in Homericis hymnis; at Orphici magis se a religionibus deorum commendant. Hi a Lycomedis, qui eos memoria servant, inter Cereris mysteria initiatis occinuntur".

---

4) Nota est haec Platonis sententia, ex iis in primis libris, in quibus summum imaginariae civitatis exemplar deformat (vid. praecipue p. 603. coll. de Legg. p. 668.). Non enim Homerum tantum, sed etiam omnem dramaticorum poetarum, rhapsodorum, saltatorum et musicorum turbam ab nova civitate sua relegat. Fuere et sunt, qui hoc, de Homero potissimum, judicium aegerrime ferant, acerrimeque in Platonem invehantur, tanquam qui omnem facultatem poeticam exosus fuerit. At qui illud judicium reprehendit, totum Platonis systema vituperat. Etenim quum hic poeticae arti μίμησιν subesse crederet, omnesque res, quibus μίμησις conspiceretur, vanas et caducas esse statueret (solas ideas firmas, veras, aeternas esse docebat), illam artem, quippe quae a coelesti veritate et aeternitate tertio gradu absit, et ipsam levem et fluxam esse demonstrabat.

5) Addit enim philosophus: ὅσα τε ἱερὰ κριθέντα ποιήματα ἐδόθη τοῖς θεοῖς. Cf. de hoc loco omnino Kries. de hymn. vet. p. 9., et Tiedemann. p. 36. 39., qui inde ineptissime collegit, Orphicos hymnos celebrasse quoque clarorum virorum laudes.

6) Paus. 9, 30, 5. 6. cf. 9, 27, 2. Itaque distinguit Pausanias inter τὰ Ὀρφέως ὄντα, et οὐκ Ὀρφέως ὄντα (v. 1, 14, 2. Gerlach. de hymn. Orph. p. 12 sq., Tiedemann. p. 37. 41., Passow. Mus. p. 56. 54. Hug. de mytho p. 191.); et sic quivis cordatior inter veteres sensit.

Lycomedae vero honoratissima Athenis familia fuit, quae originem suam a Lyco, Pandionis filio, derivabat [7]); quod ideo moneo, ne quis cum Orphei osoribus eos ex Orpheotelestarum genere fuisse opinetur.

XXX.

E locupletissimorum igitur scriptorum testimoniis apparet, hymnos potissimum cecinisse Orpheum [8]). Jam maxime probabilis eorum mihi sententia esse videtur, qui, quum nostram hymnorum collectionem seriore

---

7) Hipponicorum sacerdotali gente exstincta, daduchorum munus in se receperunt Lycomedae, quo Pausaniae adhuc tempore functi sunt. Antea sua habuerant initia, τὰ τελεστήρια Φλύησι. O. Mueller. de Minerv. Pol. p. 11. 45., Passow. Mus. p. 53 sq. Ex hac Lycomedarum gente Themistocles fuit (Plut. vit. Them. 1. p. 436. Reiske.), et, si certum est, facis in mysteriis Eleusiniis praeferendae honorem nonnisi huic familiae concessum esse, etiam Sophocles: nam is in inscriptione ap. Spon. vocatur δᾳδοῦχος δὶς (Corsini Fast. Att. 2. p. 149. Santocruc. de myster. T. 1. p. 227.). E vetusta hieratica Eumolpidarum stirpe hierophantas prodiisse, certum est. Hi subinde vocantur quoque mystagogi, et prophetae (Photii Lexic. Gr. p. 80. Zonaras p. 1092.): sed cave, ne putes, quemvis mystagogum fuisse hierophantam, neve tibi persuadeas, utrumque sacrum ministerium diversum fuisse (ut putat Santocruc. T. 1. p. 218.; eadem res non satis distinguitur a Van Dale Dissertt. Antiqq. p. 502., et a Gailio de cultu Bacchi p. 89.): vid. Lobeck. de gradib. myster. p. 7., de praecept. myst. 2. p. 10. Ex eadem Eumolpidarum familia sacer praeco eligebatur (ἱεροκήρυξ), (Spon. T. 2. p. 283. Wheler. T. 2. p. 518.), quem non diversum habeo a sacrorum interprete (ἐξηγητής, de quo v. Poll. 1. 1, 35.): ex hoc genere fuit Medius, Plut. Dec. Orat. p. 843.: ὁ καὶ ἐξηγητὴς ἐξ Εὐμολπιδῶν γενόμενος; de his interpretibus vid. Thorlacium, *de Graecorum gustu antiquitatis ambitioso, virisque, quorum erat monumentorum veterum memoriae invigilare* (Hafn. 1797.); qui tamen nimis ambitiosa merita iis tribuit (cf. de iisdem O. Mueller. de Minerv. Pol. p. 10 sq. 44.). Huc pertinent etiam obscurissimae istae leges non scriptae apud Lysiam contr. Andoc. p. 108. (p. 204. R.): Μὴ μόνον χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις νόμοις περὶ αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγράφοις, καθ' οὓς Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται· οὓς οὐδείς πω κύριος ἐγένετο καθελεῖν, οὐδ' ἐτόλμησεν ἀντειπεῖν, οὐδ' αὐτὸν τὸν θέντα ἴσασιν. Alludit Plat. Alcib. 1. p. 202. e. et Cic. ad Att. 1, 11.

8) Nec quisquam hoc in dubium vocare umquam ausus est; vid. etiam Hermann. ad Creuzer. p. 14.

aevo consarcinatam esse recte statuant, in singulis tamen antiquiorum formam servatam esse putant [9]). Eos certe, quos Lycomedae in Cereris mysteriis decantabant, non ex epico fuisse genere, quales sub Homeri nomine antiquitas nobis transmisit, res ipsa docet, et confirmat Pausanias. Nolo cum aliis longius progredi, et contendere, esse ipsos Lycomedarum hymnos, qui ad nostram pervenerint aetatem. Hanc farraginem Pausaniae non imputabimus Orpheo dignam judicaturum fuisse [10]). — Si vero

[9]) Fr. Jacobs. Supplemm. ad Sulzer. T. 1. p. 267. 269. 271., Heeren. Ideen. T. 3, 1. p. 160. (156.). Quid Fr. Schlegel. sibi velit, cujus oratio ut p. 19., ita in omnibus, quae de Orphica aetate disserit, fluctuat, nec quidquam certi et veri profert, non curo.

[10]) Pro iisdem habet Gerlach. p. 15., qui tamen parum sibi constat p. 17. 20. — Mira profecto et antiquiorum et recentiorum philologorum opinio est, de nostris hymnis ex ipsius Orphei divino ore fusis, ut Stephani Pighii (de Themide Dea p. 31. Plant.), Souchay. (Mém. de l'Acad. T. 12. p. 3. 5. T. 16. p. 100. 102.), Clavier. (hist. T. 1. p. 78.), aliorumque Francogallorum; Creuzeri (Symbol. T. 1. p. 202. (212.) T. 3. p. 146. (159.) ad Hermann. p. 36. 56. 116.), Sickleri (hymn. in Cer. p. 55. Cadmus. p. CIX.). Ab Onomacrito illos profectos esse credit Mignot. Mém. T. 36. p. 71, Suedorf. p. 52., Hancarville origine des arts, T. 1. p. 67 sq. 186. 248. 256. 365. alii; melius sentiunt Freret. Mém. T. 23. p. 261., Barre T. 16. p. 27., Valkenaer. de Aristob. p. 73-85., Zoëga Diss. p. 212 sqq., Sylvestre de Sacy ad Santocruc. T. 2. p. 62. 70. Hermann. ad Creuzer. p. 83. de natura mythologiae p. 67. 114. Cf. Heeren. Praef. ad Menandr. p. 19., et Bibl. Cr. Amstel. T. 1, 3. p. 94 sq. T. 2, 8. p. 27. — Orphici hymni diversis aetatibus compositi sunt; pauci meliorem Onomacriti aetatem merentur; ultra haec tempora nihil eorum ascendit; longe autem plurimi multo serioris sunt aevi, et ex parte etiam e primis nostrae aerae seculis, cf. Tiedemann. p. 78., Meiners. de vero Deo p. 197-202.; qui tamen parum sibi constat, (v. Bibl. philol. Gotting. T. 3. p. 112.) Schneider. Anal. Crit. p. 58. Fr. Pind. p. 76. — Hymnus 1) post Chr. compositus est. — 2) ab antiquo Pythagoreo. — 3) p. Chr. — 4. 5) ab Onomacrito. — 6) recentior. — 7-14) ab Onomacrito. — 14) p. Chr. — 15-18) ab Onomacrito. Ita de his Tiedemann. p. 83 sq. (cf. J. H. Voss. Ep. Mythol. T. 2. p. 300. 288. 290. 153. 3 sq. Schneider. Anal. p. 83 sq., qui secus judicant). De hymnis 23. 24. 27. 28. 31. (Dornedden. Nova Theoria p. 110.) 33. 34. 38. 39. 49. 51. 53. 54. 56. 58. 68. 70. 75. 80. 81. vid. Voss. Epist Mythol. T. 1. p. 114. 207. 240. 242. 259. T. 2. p. 12. 122-125. 153. 171. 191. 202. 206. 244. 246. 257. 249. 273. 274. 278. 293. Weltkunde p. XI. XXVIII Antisymbol. p. 135., Heyne Opusc. Academ. T. 2. p. 312. — Accuratior hujus rei tractatio et propriae curae hic locum habere non possunt.

forma antiquiorum Orphei hymnorum in nostra collectione servata est, non dubium est, quin ad lyricum genus pertineant. Meras plerumque deorum invocationes, cum laudibus et precibus, ut sint propitii, conjunctas, continent. Quae res primum permovit Tiedemannum, ut in tria illos genera divideret; alios ad ***initiationes***, alios ad ***incantationes***, alios denique ad ***laudes deorum*** referens. Eosdem mysteriorum usui inde ab antiquissimis temporibus inservisse certissimum est: his enim decantatis, sacerdotes ipsa mysteria auspicati esse videntur [11]). Similitudinem quandam intercessisse existimo inter hos et vetustos Olenis et Philammonis hymnos, in publicum Apollinis honorem cantatos. Ab iis vero quam facilem transitum ad epicum genus fuisse oporteat, utpote quo loca natalia et res gestae deorum celebrentur, satis perspicuum est. Attamen utrumque genus diversissimum est. Hi praeludia sunt rhapsodorum, quibus quovis die festo, priusquam ipsos sacros ritus facerent sacerdotes, ejus dei, cui sollennitatem peracturi essent, praeclara facta coram populo laudibus extollerent. Illi, ut ipsi veteres testantur, ad religionem propius accedebant, et inter ipsos sacros ritus a sacerdotibus recitabantur. Ergo et personae, qui quodvis horum carminum genus memoria tenebant, diversae erant, et

[11]) Num daduchi, an hierophantae fuerit hymnos decantare, non satis certum est. Daducho hoc munus tribuit Pausanias (9, 27, 2.: τοῖς δρωμένοις Λυκομίδαι ᾄδουσιν. cf. 4, 1, 4. 9, 30, 6. Λυκομίδαι ἴσασί τε καὶ ἐπᾴδουσι τοῖς δρωμένοις. Mallemus profecto, ut ipse Pausanias scivisset, et nobis id dixisset. —); hierophantae Sopater divis. quaest. p. 388. Ald.; ideoque eundem grata et sonora voce praeditum esse oportebat, Philostrat. vit. sophist. 2, 20. p. 601. ibiq. Olear., Brunck. Anal. T. 3. p. 315. nr. 750.: προχέων ἱμερόεσσαν ὄπα, Marm. Ox. inscr. CXXIII. p. 78. Chandl. - Marmor, hierophantae constitutum, Athenis cum inscriptione repertum est, quam obiter huc transscribam (p. 110. nr. LXXII. Chandl.):

Δηοῦς καὶ Κούρης θεοείκελον ἱεροφάντην
    κυδαίνων πατέρα στῆσε δόμοις Κλεάδας
Κεκροπίης σοφὸν ἔρνος Ἐρώτιον· ὅς ῥα καὶ αὐτὸς
    Δηραίων ἀδύτων ἶσον ἔδεκτο γέρας.

usus carminum. Si epici quoque hymni inter sacra facienda adhibiti essent, tum omnino non intelligitur, qui poeta sui ipsius mentionem injicere potuerit; id quod in hymno in Apollinem factum videmus [12]). — Quinam autem fuere illius poesis auctores? Sacerdotes; quod et tota antiquitas testatur, et omnes hodie concedunt [13]). Ab illis splendidissimi Graeci ingenii cultus fundamenta jacta esse, in vulgus notum. Quis etiam Orpheum, Musaeum, Eumolpum hoc sacerdotali munere fraudare ausit?

Jam hinc certissime colligere possumus, primam Graecam poesin derivandam esse a cultu deorum, et religionis quasi filiam fuisse. Haec autem religio esoterica fuit, qualis in mysteriis tradebatur: quam rem facile sibi persuadebunt, qui in universae antiquitatis consensu aliquod saltem veritatis indicium deprehendere didicerint.

XXXI.

Plures recentiorum summam mysteriorum antiquitatem suspectam reddere voluerunt, duplici in primis argumento, quo conjecturam suam defenderent, permoti [14]). Primum Homeri de mysteriis silentium prae-

---

[12]) Utriusque generis diversitatem bene exposuit vir doctus in Museo Helvet. T. 1. nr. 9. T. 2. nr. 2. cf. Souchay. Mém. T. 12. p. 6 sq. T. 16. p. 102. 162 sq., et nuper Hermann. ad Creuz. p. 24. 26.

[13]) Hermann. ad Creuz. p. 14. Cr. ad H. p. 71. — Nec ipse quidem J. H. Vossius, ut opinor, refragabitur (Ep. Myth. 1. p. 32.).

[14]) Nam pura puta conjectura est; quam qui proponunt, ab iis jure expectamus, ut singulorum auctorum fidem prius tollant, et communem totius antiquitatis errorem demonstrent, quam audaciora de mysteriorum vetustate pronuntiare velint. Quae J. H. Vossius adhuc protulit, ea hanc potissimum vim habent, ut singulas quasdam mysteriorum disciplinas, quae antiquissimae vulgo habentur, recentiores esse appareat; quod viro sagacissimo facile largimur. Eludit autem criticos tempus, quo mysteria orta, et quo auctoritatem nacta sunt. In eorum enim flore originem quoque sibi simul de-

texunt; deinde e veterum locis male intellectis docent, mysteriorum auctores, Orpheum etc. Homero aequales fuisse. Imbecilla profecto argumenta. De hoc jam supra diximus. Illud ne dignum quidem, quod operose refellatur; geminumque fere isti est commento, quod nuper proposuit quidam de Luna post diluvium in coelo splendescente, quia scilicet nulla ejus mentio in genesi sit facta. Male sane esset de Graeca historia, si quae apud Homerum non legerentur, ea ante eum non accidissent [15]). Num verbo ille tetigit Doriensium migrationes celebratissimas? At nemo tamen dubitat de his ante Homerum factis [16]). At, qua tandem occasione data, mysteriorum mentionem Homero injiciendam fuisse dicamus? Difficile erit, hoc de uno tantum loco affirmare. Samothracem memorat interdum [17]); sed qua re induci potuerit, ut digrederetur, et sacram esse insulam declararet, ego non video; ac, si versus aliquot de mysteriis ei excidissent, eos jamdudum ab harum rerum osoribus cupide expunctos esse, quovis pignore contendo; nam simile quiddam sub finem hymni in Cererem factum vidimus.

prehendisse visi sunt: quasi quid eodem tempore et oriri et florere possit. Quin immo quod jam per integrum seculum exstitit, id vix ortum vocant (O. Mueller. Orchom. p. 153. 462. Lobeck. de bello Eleus. p. 3. alibi.). — Ratiocinationibus, quales ad eandem quaestionem adhibuerunt Fr. Schlegel. (hist. Gr. poes. p. 24.), et Ouwaroff. (de myster. Eleus. p. 11. 16), nihil efficitur. At hic (de aetate Ante-Homerica p. 28.), mutata sententia, Creuzeri rationes amplexus est, ad Hermann. p. 50. 121. cf. Heeren Ideen. T. 3, 1. p. 94. (92.), Hermann. de natura mythol. p. 142., Heyne Comm. Gotting. T. 8. p. 21., Silvestre de Sacy ad Santocruc. T. 1. p. 108. — Quoties Meinersius olim ad mysteria accessit, toties immutavit *opinionem*, ut in hist. relig. antiq. popul. p. 291., cf. scripta *mista*, P. 3. p. 161., de vero Deo, p. 28., Bibl. philol. T. 3. p. 112.

15) Verissime de ejusmodi rebus Fr. Aug. Wolfius judicat, Prolegg. p. LXXX., et O. Mueller. Orchom. p. 278. Dor. T. 1. p. 267.

16) Probabilem quandam hujus silentii causam Heyne affert, ad Homer. T. 4. p. 370. cf. T. 8. p. 825. 826.

17) Bendtsen. de Samothracia in Misc. Hafn. T. 1, 2. p. 130 sq., et O. Mueller. Orchom. p. 453. huic de mysteriis silentio incredibilem vim tribuunt.

Mysticus deorum cultus, a Thracibus, circa Olympum et Heliconem habitantibus, et a Pelasgis, vicinarum regionum indigenis, profectus, in ipsis his locis florere et potuit, et floruit, Homero interim aliisque poetis epicis, qui sub longe alia coeli plaga, et inter longe alium populum vivebant, hujus rei omnino vel ignaris vel securis. Quae argumenta Creuzerus nuper ex inimicitia quadam, quam inter sacerdotes et poetas epicos deprehendisse sibi visus est, petiit [18]), ea, si recte aestimantur, plane concidunt; neque apud Homerum fundum habent, quippe qui ne illud quidem probet, epicis *ἀοιδοῖς* majorem fuisse auctoritatem, quam sacerdotibus. Etenim quod hi indigne saepius ab heroibus tractantur, non minuit eorum auctoritatem, siquidem in rebus adversis plerumque consuluntur, ideoque raro aliquid boni vaticinari possunt [19]). Quantopere autem antiquiores sacerdotes et vates honorati sint et a Diis et ab hominibus, Tiresiae exemplum docet, cui soli apud inferos sana mente frui datum erat. Hoc sacerdotum genus plane diversum fuisse ab aliis, quos Homerus producit, Calchante, Heleno, Theoclymeno, unum Melampodis exemplum satis docet [20]). Illi vaticinia curabant, bonisque suis consiliis alios adjuvabant, omniumque rerum scientiam memoria complectebantur. Quodsi de Calchante praedicatur,

ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα,

majore

---

[18]) Symbol. T. 2. p. 445., ad Herm. p. 47 sq., cujus rationes nimium exaggeravit J. H. Voss. Antisymbol. p. 110. — Caeterum cf. Herm. ad Cr. p. 69 sq.

[19]) *Ἀπὸ δὲ θεσφάτων τίς ἀγαθὰ φάτις βροτοῖς τέλλεται*, chorus dicit apud Aesch. Agam. 1141 sq. Herm. l. l. p. 70.

[20]) Od. 15, 223 sqq. De his primis Graeciae vatibus v. Strab. 7. p. 508. a. p. 482. Tz., 9. p. 667. Tz., Pletho. de legg. ap. Ign. Hardt. in catal. codd. mss. bibl. Bavar. T. 3. p. 378. cf. Fr. Schlegel. p. 32-36. 42., Foucher. Mém. T. 35. p. 23., Zoëga Diss. p. 303., Lenz. Supplemm. ad Sulzer. T. 2. p. 28., O. Mueller. Orchom. p. 187. 308. Hinc sacerdotum imperium sibi formarunt Niebuhr. hist. Rom. T. 1. p. 225., et A. W. Schlegel. Heidelb. Jahrb. 1816. p. 846.

majore etiam jure ad antiquiores sacerdotes, qui musicae simul et poesis erant periti, populumque sacros ritus et cultum deorum docebant, quique, si communi veterum fama stamus, regia adeo dignitate gaudebant, transferre poteris. Inde seriorum etiam temporum mos, quo primum sacerdotem *βασιλέα* Athenis vocabant, derivandus est [21]). Rex autem fuit Melampus, primum Pyliorum, deinde Argivorum; fuit etiam Orpheus, ejusque pater Oeagrus. Nam quod Apollinis filius dictus est, non magis ad rem pertinet, quam quod Musam ejus matrem ferunt. Fingunt talia poetae, ut major laus sit iis, quorum poesin celebrare volunt;

ἐκ γὰρ Μουσάων καὶ Ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθονὶ καὶ κιθαρισταί.

Sed cur Orpheum regem, regii patris filium, ipsumque Melampodem regem, veteres finxerint, ego, quippe qui non admodum sim credulus, nullam in promptu video causam. Praedixerant sane Musae:

Ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,
ἴδμεν δ' εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα μυθήσασθαι.

At qui horum quodque suo semper loco distinguere valent, magnam divinandi vim nacti sunt.

XXXII.

Itaque si Orpheus et reliqui summae antiquitatis vates, sacerdotes simul et poetae, regia dignitate ornati erant, quanto majorem vim in rudes hominum animos exercuisse eos convenit? Secretiori eorum disciplinae, simplici illi et incorruptae, quae per omnes aetates propagata, sed mirum in modum aucta et amplificata est, antiqua Graecia meliores de diis notio-

[21]) Hoc Plato observat de Rep. T. 6. p. 74. Bip. — Memorabile quoddam discrimen Aristot. refert de sacris popularibus, quae ab his, et de arcanis, quae ab illis fierent (Polit. 3, 14. (9.) p. 125. Schn.).

nes debuit. Hanc esotericam religionis partem epici poetae omnino non curarunt; atque longissime etiam ab eorum consilio remota erat, siquidem nihil nisi populi delectationem et applausum affectarent. Orphica vero poesis omnem esotericam religionis partem complexa est; ideoque praeter lyricos hymnos, quibus sacerdotes mysteria auspicabantur, didascalica quaedam carmina, in quibus mundi origo et omnium deorum notiones physicae qualicumque modo explicabantur, inde ab antiquissimis temporibus adfuisse oportet [22]), quae numquam in popularem gyrum detorta sunt, sed primis tamen Graeciae philosophis cognita. Epicorum deorum natura diversissima est ab ea, quam antiquiores vates primi iis tribuerant; illi popularem habent speciem, hi magis religiosam: hi cosmogonici sunt, hoc est, personificatae naturae rerum vires; illi vitae humanae magis accommodati, omniumque animi perturbationum aeque participes, atque ipsi homines; ac praeclaro pulchritudinis sensui, ad quem epica poesis unumquemque deorum formavit, ut populo se commendarent, accommodati. Hinc recte aestimabitur notissima illa Herodoti sententia, de Hesiodo et Homero, primis Graecae theogoniae conditoribus [23]). Deorum cultus jamdudum viguit, quum epici poetae exorirentur; ille profectus est ab antiquioribus vatibus, Deorum ministris [24]): cui sententiae non video quid jure possit opponi. Poetis epicis duntaxat non tanta auctoritas tribuenda est, ut omnem multiplicem deorum cultum populo obtruserint; eos certissimum mihi est datis [25]) tantummodo deorum notionibus et formis usos

[22]) Heeren. Id. T. 3, 1. p. 75. (73.), Ouwaroff. de myst. Eleus. p. 40., de aet. Ante-Homer. p. 24, 27., Creuzer. ad Hermann. p. 101. alibi.

[23]) Her. 2, 53.: — οὗτοί εἰσιν οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι. Cf. sup. p. 49.

[24]) Ita jam Aeschylus sensit ap. Aristoph. Ran. 1021., Horat. ad Pis. 390., et tota antiquitas. Cf. Heyne Opusc. Ac. T. 1. p. 170., Commentt. Gotting. T. 14. p. 147., Kanne Mythol. Gr. p. xix. xxiv.

[25]) Herod. 2. 52.: "Antiquissimi Graeci deos (θεούς, a τίθημι, ordinatores, constitutores.) colebant et oraculum Dodonaeum; nomina diis Pelasgi tribuerunt". Haec

esse, quas ad sua ingenia deinde exornarent et amplificarent; novos autem deos non finxerunt: etsi minime negamus, transformatos deos epicos cum epithetis adeo poeticis ad popularem cultum posthac transiisse. Proprias vero deorum notiones et functiones carminibus et lyricis et didascalicis, quae totius Graecae mythologiae et religionis fundamenta fuisse statuimus, prius celebratas esse oportet, quam epicam poesin, quae jam aetate heroica inter ipsum populum orta est, imagines tantum earum rerum, quae ab antiquioribus vatibus traditae erant, conciperet, et suo modo tractaret diffingeretque, de vero et genuino mythorum sensu parum sollicita. Atque haec paulo liberior veterum mythorum tractandorum ratio, jam Homerica aetate inter Jones aliosque Graecos Asiaticos proprii eorum sensus oblivionem et ignorantiam produxerat. In ipsa antiqua Graecia quoque paucis posthac compertum erat, quid dii, quos vulgus coleret, essent, quid non essent; quae propriae notiones sub fabularum cosmogonicarum involucris laterent. Quippe numina illa, ut disciplina arcani docebat, nihil aliud erant, nisi vires naturae rerum personificatae, et mundi partes. In harum rerum explicatione cosmogoniarum antiqua-

fuit antiqua Graecorum fama, cui Herodotus ex sua sentiendi ratione quaedam admiscuit, quae caute ab illa sunt secernenda. — Caeterum Herodoti etymologiam τῶν θεῶν probarunt Barrius Mém. de l'Acad. T. 16. p. 2. 46. 47., Geinoz. Ibid. p. 116., Freret. Ibid. T. 23. p. 244., Hancarville sur l'origine etc. des arts de la Grèce T. 1. p. 217. 227. 231 sqq., qui tamen eam ad alia omnia traduxit; Depuis orig. de tous les cultes T. 1. p. 16., Monboddo T. 1. p. 431., Marsh. Hor. Pelasg. p. 32., Zoëga de obel. p. 234. Diss. p. 283., qui bonis observationibus rem illustrat. Etymologiam illam ex parte tantum probat Bendtsen. Misc. Hafn. T. 1, 2. p. 128. — Idem verbum θεός Plato Cratyl. p. 397. c. (p. 49. Heind.) derivat a θέειν, a movendo, ut sit *cursor;* quod probat Meiners de vero deo p. 165. (cui obloquutus est Zoëga Diss. p. 297.), Kanne Anal. philol. p. 72., Mythol. Gr. p. xiii, 53. cf. Creuzer. Symb. T. 1. p. 169. (178.). E Platone hausit Eustath. ad Il. 1. p. 9., et alii, quos laudat Creuzer. Melet. 1. p. 43. — Utramque etymologiam confundere videtur Heyne, Commentt. Gotting. T. 2. p. 131. 137., Opusc. Acad. T. 1. p. 198.

rum argumentum versatum est, quarum originem veteres ab Orpheo satis constanter repetunt.

Illas autem, quas antiquissimum aevum protulit, rerum personificationes non potest suspectas reddere testimonium Menandri rhetoris [26]), qui: "Parmenides et Empedocles, inquit, omnes naturae vires et mundi partes *ex sermonis antiqui usu* in personas primi mutarunt". Aut erravit Menander, aut hoc ita intelligi voluit, ut, quae a primis Graeciae poetis in hoc genere excogitata sint, philosophos illos, ad certum quoddam systema revocata, in minutissimis etiam rebus constanter exsequutos esse statueret. Jam Plato et Aristoteles, multo antiquiores et locupletiores testes, in eo consentiunt, ut antiquissimos poetas, Orpheum, Homerum, Hesiodum, omnium rerum primordia in aqua quaesivisse dicant. Orpheus hoc primitivum *στοιχεῖον* sub Oceani et Thetyos mythicis *προσωποποιΐαις* proposuit [27]):

> *Ὠκεανὸς πρώτιστα καλλίῤῥοος ἦρξε γάμοιο,*
> *ὅς ῥα κασιγνήτην ὁμομήτορα Τηθὺν ὄπυιεν.*

---

[26]) De encom. 5. p. 39. Heeren. Is Parmenidem et Empedoclem physicos vocat ἐξηγηματικούς.

[27]) Plat. Cratyl. 402. c. p. 268. Bip. p. 66. Heind. cf. Theaet. p. 152. e. p. 130. Bip. p. 317. Heind. Sex. Emp. adv. Math. 10, 314.; repetiit Stob. Ecl. phys. 1, 2., allusit Aristot. Metaph. 1, 3. Acute haec explicat Bouterweck. de pr. decret. phys. p. 5 sqq. cf. Tiedemann. p. 38. 47 sqq. 60., Eschenb. p. 93. 102 sq., Hanou. p. 348., Depuis, origine T. 1. p. 185 sq. — Homeri versus sunt Il. 14, 201. 302. 246., de quibus vid. Plat. Theaet. p. 152. d. e. T. 2. p. 70. 87. 130. Bip. Protag. T. 3. p. 99 sq. Tim. p. 315.; hinc. Euseb. Praep. Ev. 14, 4., Vit. Hom. p. 327. Gale. cf. Voss. Weltkunde p. xxv., Heyne Comm. Gotting. T. 2. p. 145. T. 8. p. 40. 41. 55., Kanne Anal. Philol. p. 85., Mythol. Gr. p. 22., Sturz. de Empedocle p. 254-257. — Dornedden. (Nova Theor. p. 65. 139. cf. Phamenoph. p. 325.) ne ipsum quidem Homerum intellexisse, cur Oceanum omnium deorum patrem appellaverit, et Aristotelem nec Thaletem nec Homerum cepisse, affirmat. Sed vir subtilissimus, quid sibi ipse voluerit, non videtur assequutus esse.

Qui versus Platoni procul dubio ex antiqua cosmogonia innotuerant: plane autem conveniunt cum Homericis, ad quos idem philosophus provocat:

'Ὠκεανόν τε, θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.
'Ὠκεανὸν, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται·

idemque placitum Hesiodo quoque subjicit; sed quemnam locum respexerit, nos hodie fugit: in iis certe carminibus, quae aetatem tulerunt, ejusmodi sententia non legitur. Ergo aut memoria lapsus est Plato, aut deperditum carmen Hesiodeum, a Theogonia diversissimum, in animo habuit.

Aristoteles "Thales, inquit, omnium rerum principium aquam statuit. — Sunt, qui credant, antiquissimos theologos, quorum aetas nostris temporibus longissime praecedit, et qui omnium primi de rebus theologicis philosophati sunt [28]), eandem de rerum natura sententiam praecepisse. Quippe Oceanum et Tethyn omnium rerum parentes fecerunt. Aqua autem iis est, per quam dii juraverint; nempe Styx, ut a poetis vocatur. Nam antiquissima quaeque maxime veneranda habentur; et per ea juramus, quae nobis maxime veneranda videntur". Jam vero in oculos incurrit, Aristotelem de eadem re, ac Platonem, loqui, et Orphicam disciplinam antiquissimorum theologorum nomine comprehendere, quos a junioribus poetis subinde distinguit [29]). Ac poterat sane philosophorum princeps, cui antiquissima Graeciae tempora melius, quam nobis, nosse con-

---

[28]) τοὺς παμπαλαίους καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως καὶ πρώτους θεολογήσαντας. Metaph. 1, 3. cf. Bouterweck. p. 6. — Theologus vocatur Orpheus; Ὀρφεὺς ὁ ἐπικληθεὶς θεόλογος, ap. Galen. de antidot. 2. T. 2. p. 445. Bas., et saepissime apud recentiores Platonicos; v. Hug. Grot. Proleg. ad Apocal. Joan. Creuzer. Symb. T. 3. p. 143. (155). Ergo ubicumque Aristoteles de theologis παμπαλαίοις loquitur, oppositis recentioribus poetis, Hesiodo et Homero, quibus idem cognomen tribuit (ut Metaph. 2, 4. p. 499. Cas.), de Orpheo in primis cogitandum esse, per se intelligitur, ut Met. 11, 6. p. 561. 13, 4. p. 579.

[29]) Aliis locis, ut Met. 11, 1. (12, 4.), vetustiores poetas a junioribus theologis (haud dubie a primis Graeciae philosophis, Thalete etc.) distinguit; cf. Bibl. Crit. Amstel. T. 2, 2. p. 87 sq.

tigerat, Hesiodum ad recentiores poetas referre, ut qui bene compertum haberet, aliquot ante Hesiodum et Homerum seculis poetas multo *θεολογικωτέρους* vixisse [30]). Nobis quidem mirum accidit, si Hesiodum et Homerum juniores appellari audimus. At multa ex hoc genere nobis mira hodie videntur, quae Aristotelis aetate naturales habebant explicationes. — Sed de rebus et viribus naturae personificatis sermonem institueram. Itaque ut hoc alio idoneo idonei auctoris testimonio confirmem, idem Aristoteles [31]): "Non Hesiodus tantum, inquit, sed theologi etiam, qui ante eum floruerunt, omnia elementa et principia rerum in personas divinas mutarunt, et illud tantum spectarunt, quod sibi ipsis visum sit credibile; nostrum autem, quippe qui mortales simus, obliti sunt. Nam elementa faciunt deos, et contendunt, omnia diis originem suam debere: ea contra interitui obnoxia esse dicunt, quae nihil nectaris gustassent". — Nullo igitur modo haec primitiva deorum natura, quam genuino sensu allegoricam vocare licet [32]), in dubium vocari potest: quae certe argumenta ab iis, qui sensum historicum ubique requirunt, adhuc contra allata sunt, ea nimis levia et exilia mihi esse videntur, quam ut de summorum philosophorum auctoritate quidquam detrahant.

XXXIII.

E scriptoribus, qui Aristotelis aetatem subsequuntur, nihil fere peti posse, quod geminum Orphicae cosmogoniae colorem spiret, recte animad-

---

30) Cf. quae Aristoteles de iisdem theologis observat Met. 12. 6. 8. 14. de anim. 1. 5. — Alia de eadem re vid. ap. Kannium, Anal. Philol. p. 69 sqq., Wagner. Ideen einer allgemeinen Mythologie, p. 310.

31) Met. 2, 4.

32) Id concedit ipse J. H. Vossius (Epist. Mythol. T. 1. p. 14 sqq.), qui antiquissimas notiones cosmogonicas optime explicuit.

vertit Tiedemannus; qui tamen quum in omnibus rebus Orphicis dijudicandis, tum in his cosmogonicis mirum sibi finxit criterium, ad quod genuina a suppositis distingueret. Qua re etiam factum est, ut singulare systema philosophicum Orpheo conderet, de quo ne cogitavit quidem antiquus vates. Judicii autem leges sibi constituit, ut *primum* genuina sint Orphei decreta, quae sub ejus nomine a scriptoribus, qui aetate *Alexandrinos* [33]) superent, memorentur, neque conveniant cum doctrina *Pythagorica*: *deinde* quae fabulae ab iisdem scriptoribus ut antiquissimae referantur, et *Hesiodeis* repugnent: *tum* quae res, ab iisdem proditae, quamvis silentio ab *Homero et Hesiodo* praetermissae, tamen nonnisi rudi incultaeque Orphei aetati convenire videantur. — De prima illa lege, quae judicium nostrum moderetur, certum est quid respondeam. Ea primos Pythagoreos, qui Orphei nomen ad suam disciplinam traduxerint, ponit; quod tamen omnino falsum esse supra docuimus. Deinde ea si uteris, facilius discernere poteris, quae non sint Orphica, quam quae sint Orphica. At nostra potissimum interest (et haud dubie etiam Tiedemanni interfuit) scire, quae germanae Orphei sententiae haberi possint. Num autem omnia, quae de mundi et deorum originibus antiquitas tradidit, et quae non conveniunt cum Pythagoricis, Homericis et Hesiodeis placitis, quaeque nobis videntur rudi Orphei aetati apta esse, statim ad ipsum Orpheum auctorem rejicienda sunt? Rejecit Tiedemannus, parum sollicitus de argumentorum suorum imbecillitate. Nonne poterat fieri, ut serioris aevi poeta sub Orphei nomine aliquid componeret, quod aeque rude (et fortasse etiam rudius) esset atque ipsa Orphei aetas? Ac quicumque Orphica conscripsit, et sapere didicerat, hanc etiam rationem

[33]) Nimis vaga et incerta est haec universae Alexandrinae aetatis scriptorum appellatio, quippe quae multa et ante et post Chr. n. secula complectatur. Ea igitur qui utitur, aut parum aut nihil mihi definire videtur. Cf. Bibl. Crit. Amstel. T. 2, 2. p. 85 sq.

sequutus est. — Ergo hoc criterio adhibito summa imis miscentur. Quid? quod ipse Tiedemannus parum sibi constitit. Placitum enim de aqua, omnium rerum procreatrice, quod Plato Orpheo, Homero, Hesiodo tribuit, Tiedemannus quoque pro Orphico habere nihil ambigit [34]); criterii sui, quo cum Hesiodeis et Homericis convenientia non debeant haberi pro Orphicis, plane immemor.

Quum igitur ea via, qua viri docti adhuc ingressi sunt, nihil profici posse manifestum sit, neque istis judicandi legibus similes substituere liceat; alia in posterum videtur tentanda esse, quae nos ad meliorem Orphicae disciplinae naturam cognoscendam ducat. Tum autem cavendum erit, ne multa nobis doctiora videantur et subtiliora, quam ut Orphicae aetati tribui possint. Ex hoc genere celebratissimum illud de animi immortalitate placitum est, quod magnopere torsit et sollicitos tenuit doctissimos homines [35]). Magno hic argumento esse potest, quod idem apud plurimos incultos populos per se ortum est et viguit. Deinde sententia de animo, qui per respirationem ex aëre ducatur in corpus, quam

[34]) Tiedemann. p. 47. coll. 97. unde contradictio clarissime patebit.

[35]) Qualescumque de animi immortalitate notiones jam Homerus docet, quamvis eae inferorum tristitia circumscribuntur (Halbkart. de Psychol. Homer. p. 91-98., J. H. Voss. Antisymbol. p. 226 sq., Zoëga de Obelis. p. 300.). Certior et definitior illius rei persuasio posthac apud Graecos orta est, in primis ex quo philosophiae lumen exsplendescere coepisset. Habet autem hoc dogma domesticum fontem, qui Aegyptiacae faecis nihil traxit; quidquid dicant Zoëga (l. l.) et Creuzerus (Commentt. Herodd. p. 169. 307-337.) — Animorum in alia corpora transmigratio, quam ante Pythagoram Graecis ignotam fuisse constat (Muenter. Inscript. Samothr. p. 36. sive, Diss. antiquar. p. 230.), peregrinum fontem habet. Cf. de his quaestionibus, saepe multumque agitatis, Irhovium de Palingenesia p. 317., Wyttenbach. de vita et statu animorum post mortem p. XVII., Bibl. Crit. Amstel. T. 2, 2. p. 84., Chardon de la Rochette Melanges de Crit. et de Philol. T. 1. p. 58., Thorlac. Popul. Aufs. p. 250., Moeser. Vermischte Schr. 2. p. 215.

quam Aristoteles antiquissimis theologis tribuit [36]) non potest in dubium vocari, argumentis ex Hesiodi Homerique carminibus petitis, ubi nihil hujusmodi legatur. Etenim meminisse decet, has et similes sententias in antiquae Graeciae mysteriis traditas esse, neque tam vulgares ullo tempore factas esse, ut poetae earum mentionem omnino debuerint injicere.

XXXIV.

Primum Graecae cosmogoniae specimen, a primo Orpheo profectum, et per disciplinam Orphicam propagatum, simplex, ut omnia, quae antiquius aevum tulit, fuisse oportet. Ut lyrico, ita hoc didascalico quoque poesis generi, prolusit Orpheus; nihil perfecti et omnibus numeris absoluti dedit. Ne Hesiodus quidem, qui in iisdem regionibus, ubi Orphica poesis floruit, cecinisse perhibetur, legitimum carmen didascalicum exhibuit: id quod sequentibus gnomicis poetis nondum contigit. Magis in hoc genere profecerunt philosophi Graeci conditis operibus *περὶ φύσεως*. Hi vero ea, quae antiqua poesis sub fabularum involucris proluserat de prima origine mundi, in usum suum convertentes, ita ut ne a forma quidem recederent, primitivum cosmogoniae specimen transmutarunt in cosmophysicam et cosmologiam, motis quaestionibus de primigeniis rerum elementis. At jam antea antiquior cosmogonia, cujus genuinum sensum ipsae elementorum divinae personificationes paullatim obscuraverant, in meram theogoniam abierat, quum epici *ἀοιδοὶ* deorum formas et mores excolere coepissent,

---

36) De anima 1, 5. p. 485. b. Casaub. (cf. de gen. an. 2, 1. Simplic. p. 19. b.): φησὶ γὰρ (ὁ Ὀρφικὸς λόγος) τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ ὅλου εἰσιέναι ἀναπνεόντων φερομένην ὑπὸ τῶν ἀνέμων. "Hoc Orphei decretum, inquit Lobeckius (de Tritopat. 2. p. 8.), quod artificiosa philosophorum interpretatione varie exornatum est, ipsum per se nihil aliud significat, quam hoc, quod simplicissimis hominibus et ab omni philosophandi subtilitate longe remotis in mentem veniat, animum esse animam, ejusque vitam spiritu contineri." Cf. Bibl. Crit. Amstel. T. 2, 2. p. 87. — Id nondum assequi poterat Tiedemannus p. 38. 45.

de interiore fabularum cosmogonicarum connexu et primitiva notione plane securi. Apud hos deorum nuptiae non sunt symbolica connubia, sed poetici amplexus: deorum cum diis pugnae de principatu sunt verae pugnae, non symbolicus elementorum conflictus. Totum hoc fabularum genus, quod ad Titanomachias etc. spectat, ab epicis poetis fictum, exornatum et amplificatum est; neque in antiquioribus cosmogoniis locum habuisse videtur. Ex illo genere est carmen epico-didacticum, quod sub Hesiodi nomine antiquitas nobis transmisit, aeque breve ac simplex a principio, sed vario rhapsodorum studio interpolatum et miseris modis corruptum, ita ut res maxime inter se dissidentes passim contineat [37]).

Fuere olim, qui Hesiodum varios diversorum poetarum mythos collegisse, indeque theogoniam, ut nunc habemus, consarcinasse, sed verum mythorum sensum non assequutum esse statuerent. Hinc in indignas virorum doctorum vituperationes incurrit miser Hesiodus, quorum unus [38]): "Hic vir agrestis, inquit, nihil de ipsis rerum naturis intellexit,

---

[37]) Itaque tam iis contradicimus, qui absolutum systema philosophicum de mundi origine et natura ante Homericam aetatem inter Graecos quaerunt; quam qui iisdem temporibus neminem de primis rerum principiis cogitasse censent; ac cosmogonias et theogonias aliquot post Homerum seculis demum conditas esse opinantur, ut Barre Mém. T. 16. p. 8., Meiners. de vero deo p. 169., Schlegel. Gr. poes. hist. p. 24. 40. 207., Zoëga Diss. p. 297., Conr. Schneider. in Creuz. et. Daub. Stud. T. 4. p. 1 sqq., Hug. de mytho p. 9. 13. 16. — Ego prorsus nego, Deorum personificationes, quales in epica poesi comparent, sine praegressis cosmogoniis oriri potuisse. — Melius sentiunt Heyne Commentt. Gotting. T. 2. p. 136. T. 8. p. 16. 37 sq. T. 14. p. 147., Kanne Anal. Philol. p. 70 sq., Mythol. Gr. p. xix. xxiv sqq.

[38]) Parkerus in Cogitatt. de deo p. 378., a cujus judicio non multum abest Heyne, Comm. Gotting. T. 2. p. 125. 135., Tiedemann. p. 96., Zoëga Diss. p. 216., Dornedden. Nova Theor. p. 68., qui eandem ignorantiam Homero potissimum vindicavit, sicuti Godofr. Hermannus quoque in Epist. ad Creuz. p. 2. 3. 18. 20 sq., Ouwaroff. de aetate Ante-Hom. p. 15. 18. 21., O. Mueller. Aegin. p. 14. Orchom. p. 265. 267. 461. 453., Creuzer. Symb. T. 2. p. 452.

sed solum fabulas quasdam, quas a *vici Ascraei vulgo* acceperat, versibus enarravit". Quo in judicio, etsi nimis acerbo, tamen bene est observatum, Hesiodum genuinum mythorum sensum non perspectum habuisse; quae securitas ei cum Homero communis est. Atque hic plura exempla maxime memorabilia nobis servavit, quorum accuratiorem cognitionem saluberrimam duco ad veram antiquioris poesis indolem perspiciendam. De gemino Hercule, quem Homerus et apud superos, et apud inferos versari dicit, res nota est; apud inferos est Herculis

> *εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι*
> *τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,*
> *παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου* [39]).

Hominum corpora vulgo apud Homerum *αὐτοὺς* vocari, animas autem, corporibus solutas, *εἴδωλα καμόντων*, vel pueri sciunt [40]). At hoc loco Hercules, mortali corpore exutus et inter deos receptus, *αὐτὸς* appellatur. Jam quomodo haec inter se conciliabis? Hoc certe confiteamur necesse est, tam manifestam rerum repugnantiam non potuisse ab uno ingenio proficisci. — Hercules in antiquiore poesi nihil aliud erat, nisi personificata Virtus, quae immortalis est, et, corpore mortuo, ad deos redit. Hoc

---

[39]) Od. 11, 602 sq. Hujus loci interpretatio jam veteres torsit (v. Creuzer. ad Cic. de N. D. 3, 16. p. 551., Symbol. T. 2. p. 456.); in primis Platonicos recentiores, qui bono Homero Platonis dogma νοῦς, ψυχή, θυμός tribuerunt. Lucianus derisit Homerum. Cf. de eodem loco varias explicationes Heynii (Comm. Gott. T. 8. p. 57.), Gilliesii (hist. Gr. T. 1. p. 57.), Zoëgae (Diss. p. 308.), Halbkartii (Psych. Homer. p. 109 sq.), Kannii (Mythol. Gr. 222. Panth. p. 25. 37.), Dorneddenii (Nova Theor. p. 278 - 283.), Ritteri (Vorhalle p. 363.). Verum vidit Hermann. ad Creuz. p. 20. cf. Fr. Thiersch. de Hes. p. 14., O. Mueller. Dor. T. 1. p. 455.

[40]) Vid. Il. 1, 3. etc. *Zoëga.* de Obelis. p. 300. — Diversa prorsus nostrorum philosophorum est ratio, qua animum pronomine *Ego ipse* (αὐτός) designare solent; de corpore autem, tamquam de re extra se posita, loquuntur. Cum Homero facit Virg. Aen. 6, 362. 365. 370. cf. Ecphantem Pythagoreum ap. Porphyr. de abst. 4, 10. p. 379. Forgeroll. — Caeterum duplicem animum, qualem Homerus Herculi tribuit, Gronlandi quoque statuunt; v. Cranz. Histor. Gronl. T. 1. p. 257.

repetiit illius loci auctor, sed non intellexit. Difficiliorem explicationem Homerici versus de Laestrygonum terra habent, ad quam Ulysses appulisse fertur:

> *Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην, ὅθι ποιμένα ποιμὴν*
> *ἠπύει εἰσελάων, ὁ δέ τ' ἐξελάων ὑπακούει·*
> *ἔνθα τ' ἄϋπνος ἀνὴρ δοιοὺς ἐξήρατο μισθούς,*
> *τὸν μὲν βουκολέων, τὸν δ' ἄργυφα μῆλα νομεύων·*
> *ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε καὶ ἤματός εἰσι κέλευθοι* [41]).

Regionem hic describi, quae alterutri polo propior sit, ubi dies noctesque parem habeant longitudinem, in oculos incurrit. At mirum profecto est, cur boves interdiu pascantur, oves noctu? cur bubulcus, domum compellens armentum, magistro ovium, pastum agenti pecus, acclamet? cur ibi sint noctis et diei viae (confinia)? Haec ex ipso Homero fortasse frustra quaesiveris; is fando acceperat, de interno connexu plane securus; in qua securitate et nobis hodie acquiescendum erit. — Ulysses in insula Trinacria quum advenisset, in Solis divinos boum oviumque greges incidit:

> *Ἑπτὰ βοῶν ἀγέλαι, τόσα δ' οἰῶν πώεα καλά,*
> *πεντήκοντα δ' ἕκαστα· γόνος δ' οὐ γίγνεται αὐτῶν,*
> *οὐδέ ποτε φθινύθουσι· θεαὶ δ' ἐπιποιμένες εἰσί,*
> *Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι, Φαέθουσά τε, Λαμπετίη τε* [42]).

Nimis manifesta hoc loco sunt vetustae allegoriae documenta, quam ut clara oculorum acies caecutire possit. Id jam perspexit Aristotelis acumen, cujus explicationem de qualicumque anni lunaris divisione, quae apud populum aliquem olim obtinuerit, facile probamus; etsi nondum intelligimus,

---

[41]) Od. 10, 81-86. cf. Eustath. et Schol. Dornedden. Nova Theor. p. 15-19. Kanne. Urkund. p. 108. 257.

[42]) Od. 12, 129 sqq. cf. Dornedden. p. 9 sqq. 31 sqq. 452. Aristoteles ap. Eustath.: ὅτι τὰς ἀγέλας, καὶ μάλιστα τῶν βοῶν, φασὶ τὸν Ἀριστοτέλην ἀλληγορεῖν εἰς τὰς κατὰ δυωδεκάδα τῶν σεληνιακῶν μηνῶν ἡμέρας, γενομένας πεντήκοντα πρὸς ταῖς τριακοσίαις, ὥσπερ καὶ ὁ ἀριθμὸς ταῖς ἑπτὰ ἀγέλαις, ἰσχύσαις ἀνὰ πεντήκοντα ζῶα.

quomodo numerus septenarius ad illam divisionem pertinere possit. Mire congruunt duarum Nympharum nomina, Phaëthusa (lux diurna, sol.) et Lampetia (lux nocturna, luna.). Verum omnes subtilitates et contorta artificia ab hoc loco abesse jubemus.

XXXV.

Magnum antiquitas cosmogoniarum Orphicarum proventum tulit, quarum diversitas nobis facile persuadebit, quantopere fraudes seriorum Graecorum etiam in his rebus grassatae sint; etsi alii, diversam viam ingressi, diversissimarum rerum farraginem et omnem notionum confusionem in simplex Orphei caput cumulare non dubitarunt; quasi ingeniosissimi populi, qualem se Graeci praebuerunt, cultus a tam foedo notionum consortio vel colluvie proficisci potuerit! Quo enim longius quaeque a genuina Graecorum mythologia recedant, et cum Aegyptiaca, Persica et Indica doctrina conveniant, eo vetustiora habenda esse censent [43]). Magis profecto ii laudandi sunt, qui nullas omnino genuinas cosmogonias Orphicas fuisse opinantur, sed omnes, quae eo nomine circumferantur, primum ad Hesiodi exemplum esse compositas, deinde mutatas paullatim et dif-fictas [44]); quamvis et hoc judicium per se falsum est. Qualis enim,

[43]) Ita Creuzer. Symbol. T. 3. p. 292-318. (304-329.) T. 4. p. 243. (261.), et alii, qui fraudibus Indicis sibi imponi passi sunt, de quibus egregie *Zoëga* Diss. p. 231. Bassirel. di Roma 7. p. 231., et J. H. Voss. Antisymbol. p. 97. Quam cosmogeniam Tiedemannus (p. 59-65. 87 sqq.) ab ipso Orpheo profectam opinabatur (ap. Athenag. leg. pro Chr. 15. p. 68. Oxon., et Damasc. 13. in Wolfii Anecd. Gr. T. 3. p. 252.), ea recentissima est; vid. Kaune. Anal. Phil. p. 39 sqq.; neque ultra Alexandrina tempora assurgunt, quae laudantur a Clement. Rom. Recogn. ad gent. 10. p. 145. Col. Homil. 6, 3., Cedren. synops. hist. p. 47. Bas., Malel. chronogr. 4. p. 29. Ven., Suidas Ὀρφεύς.

[44]) *Zoëga* (Diss. p. 243.) primam theogoniam Orphico-Pythagoricam Onomacrito tribuit, quam respexisse putat Apoll. Rh. 1, 495 sqq., et Schol. ad Aeschyl. Prom. 957. — Ea sane non multum differt ab Hesiodea. — Omnes Graecarum theogoniarum conditores recenset Fabric. *Bibl.* T. 1. p. 585.

quaeso, similitudo intercedit inter theogoniam Hesiodeam, et quam Athenagoras, Hellanico auctore, affert Orphei cosmogoniam. "Aqua, inquit, fuit omnium rerum principium, ex qua natum est lutum. Ex utraque deinde materia ortus serpens, cum leonis et tauri capitibus, inter quae media dei facies apparuit. Hic serpens, cui nomen Herculis fuit vel Chroni, peperit immane ovum, quod, genitoris vi et robore plenum, in duas partes disruptum est, quarum superior in coeli, inferior in terrae formam abiit".

Quidam viri docti antiquae cosmogoniae notiones deprehendisse sibi visi sunt apud Aristophanem, ubi superbus avicularum chorus, progeniem suam celebraturus, *alatum* Amorem ex *ovo*, quod *alata* Nox pepererit, prodiisse, et cum Chao *alata* posthac omne avium genus procreasse tradit, atque ipsis diis immortalibus se antiquiorem praedicat. At quis est, qui non protinus intelligat, lusisse Aristophanem [45]), et hanc cosmogoniam, suo consilio aptam, ipsum finxisse? qua recentiorum seriam credulitatem egregie elusit; id quod lepidus Comicus vix divinare poterat. Illi scilicet sanctissimum et celebratissimum dogma de ovo mundi, in mysteriorum adytis symbolice repraesentato, Aristophanem irrisisse opinantur [46]).

---

[45]) Aristoph. Av. 696. Verissime Schol.: *ταῦτα οὐκ ἀναγκαῖον ἀποδοῦναι πρὸς τὰ Ἡσιόδου ἢ πρὸς τινὰ ἄλλου τινος γενεαλόγου.* Cf. Kanne Anal. Phil. p. 51. 37., Mythol. Gr. p. 42 sqq., qui se per jocum ipse derisit Urkund. p. 452. Panth. p. 71. 360. 565. — Nimis serio rem quoque cepit J. H. Voss. Ep. Myth. T. 2. p. 15., Zoëga Diss. p. 232., et Thiersch. de Hes. p. 26. — Ut Aristophanes, ita etiam Linkius, magnus naturae scrutator, aves omnium antiquissimas hujus orbis incolas habet (Urwelt T. 1. p. 20.): "*Der wunderbare Körperbau der Vögel, ihre Eyer, und das hohe Alter, welches sie erreichen, beweist dieſs. Der Gesang dieser Thiere war vielleicht der einzige Ausdruck höherer Empfindung in den Einöden und verlassenen Wäldern der Vorwelt; die Vögel waren die Menschen jener Zeit.*"

[46]) Creuzer. Dionys. p. 169., Hug. de mytho p. 191. 193. Muenter. Diss. Antiquar. p. 227., Link. Urwelt. T. 1. p. 311. Neque Aristophanes (Av. 179.) cum Alexide (ap.

At cautiores haud dubie et comicos et tragicos poetas notissima ista Aeschyli causa fecerat, qui, quum in pluribus fabulis spectatorum oculis objecisset, quae cum rerum in mysteriis repraesentatarum εὐπρεπείᾳ et σεμνότητι convenirent, ob profanatam religionem lapidibus paene obrutus esset, nisi per omnes deos affirmasset, se per imprudentiam peccasse [47]). — Itaque haec nos adducunt, ut fabulam de Amore ᾠογενεῖ pro mero Aristophanis figmento et lusu habeamus. Verumtamen cosmogonica Amoris natura, qualem antiquiores poetae, unde Hesiodus hausit, in rerum prin-

---

Athen. 2. p. 60. a.) ovum Orphicum, quod nonnisi seriores scriptores memorant (Plut. Sympos. problem. 2, 3. p. 636. d. Porphyr. ap. Euseb. 3. p. 109. d. Clem. Homil. 6, 5. 12. Recogn. 10, 17., Macrob. Sat. 7, 16., Achil. Tat. Isag. in Arat. 4. p. 127., 6. p. 130. Petav. cf. Wesseling. ad Diod. 1. p. 32. 57., Valken. de Arist. p. 80.), irridere poterat, adhibitis vocibus ὀρνίθων πόλις (i. e. οὐρανός), et τὸ τοῦ πόλου τοῦ παντὸς ἡμισφαίριον, et ὑπέφαινεν ὠὸν ἡμίτομα τοὺς ἀστέρας.

47) Aristot. Ethic. ad Nicom. 3, 2., Heraclid. Pont. ap. Eustrath. ad Arist. l. l., Clem. Alex. Str. 2. p. 461. (387.). Alio modo rem narrat Aelian. V. H. 5, 19. cf. Mar. Oxon. ep. 49. — Noli tibi persuadere, Aeschylum ob singulas quasdam sententias vulgatas profanati mysterii reum factum esse (e. c. quod Dianam Cereris, non Latonae, filiam appellavit v. Herod. 2, 156., Paus. 8, 37, 3., Bouterweck. de Justitia fabulosa. p. 27, 29., Freret. Mém. T. 23. p. 267., Hug. de mytho p. 72., Bendtsen. de Samothr. p. 137., O. Mueller. Dor. T. 1. p. 379.), sed ob mysteriorum ritus et symbolicas dramaticasque actiones in scenam introductas; et quod pontificalia insignia histrionibus suis adaptaverat (hoc perverse narrat Athen. 1. p. 21. e.). Huc Aeschylus ille ὁ ἐπὶ ταῖς Εὐμενίσι κρινόμενος pertinet (Apsin. τεχν. p. 686.), utpote qui in hujus fabulae exitu δᾳδουχίαν repraesentasset, cujus simili initiatorum chorus initiatum Aeschylum prosequutus est in exitu fabulae Aristophaneae, Ranarum nomine insignitae. Aliae Aeschyli fabulae alias suspiciones praebuisse videntur, e. c. Sisyphus, Oedipus, Iphigenia, quae diserte memorantur in hac causa (Heraclid. Pont. l. l.; nimis incerte loquitur Aelian. ἐπί τινι δράματι). — Bene de his rebus sentit Silvestre de Sacy (ap. Santocruc. T. 1. p. 450.): "*Ce que les mystères contenoient de doctrine et de dogme, n'étoit ni secret ni mystérieux. Ce qu'il y avoit de secret dans les mystères, c'étoit seulement une partie des rites et des symboles. Imiter en public les rites secrets, révéler les symboles, qui n'étoient connus que des initiés, voilà en quoi consista l'impiété de Diagoras, le sacrilège d'Alcibiade; voilà ce qui rendit suspect Eschyle.*" Cf. Lobeck. de argument. myster. p. 7. de praecept. myst. 1. p. 5 sq.

cipio statuerant, vetustissima est, quamvis Homerus eam non agnoscat [48]; sed exculta demum a philosophis inde a Pherecyde Syrio. Heraclitus Amoris vi sociatrici, *φιλίᾳ*, quam similia cum similibus conjunxisse in primitiva elementorum confusione statuebat, vim dissociatricem, *πόλεμον*, quae similia a dissimilibus disjunxerit, opposuit [49]. Similes notiones Parmenides Amori suo subjecit; et Empedocles *φιλίᾳ* contrarium fecit *νεῖκος* [50]. Simplici huic Amoris notioni seriores Orphici plures ineptias superstruxere. Apud hos summus deus factus est, *δημιουργός, διάκτωρ ὅλου τοῦ κόσμου, πρωτόγονος, αὐτόγονος, πρωτόσπορος, πρῶτος γενέτωρ, γένεσις μακάρων, σπέρμα φέρων θεῶν κλυτόν, ὠογενής, ἀῤῥενόθηλυς, διφυής, θῆλυς καὶ γενέτωρ, ταυροβόας*. Nunc non amplius *Ἔρως* appellatur, sed *Φάνης*, quod nomen nostra aera non multo antiquius est [51]. Ut Phanes caloris et lucis auctor habitus est, et ipse adeo Sol: et, quum Sol idem Orphicis esset ac Bacchus, ejus notio etiam cum hoc coaluit. Deinde, quia Juppiter iisdem pro *δημιουργῷ* erat, cum ipso adeo Jove in eandem personam abiit: tandemque et Pan (anima mundi, non capripes iste Penelopes filius) factus est, et Priapus, et Horus; Metis, et Phaëthon, et Ericapaeus [52].

XXXVI.

---

48) Homerus Amorem omnino non memorat; de qua re vid. Barrium in Mém. T. 18. p. 33 sqq., Hug. de myth. p. 193. — De Hesiodo vid. Heyne Commentt. G. T. 2. p. 138., Kanne Anal. Phil. p. 80.

49) Proclus in Tim. p. 24.: πόλεμος ἐστὶ πάντων πατὴρ κατὰ τὸν Ἡράκλειτον.

50) Cosmogoniam Orphicam, ab his philosophis excultam, respexit Apollonius Rh. 1. 594.: νείκεος ἐξ ὀλοοῖο διέκριθεν ἀμφὶς ἕκαστα. cf. ibi Schol., et Kanne. Anal. p. 51. Mythol. Gr. p. 12.

51) Primus Diodorus memorat 1, 11., deinde Theo Smyrn. 1, 47. v. Zoëg. Diss. p. 212. 220., Barre, Mem. T. 16. p. 20., Freret. T. 23. p. 165., Ignat. Rossi Etym. Aegypt. p. 230. — Nomen antiquissimum habet Jablonsky Opusc. T. 1. p. 372 sqq., Muenter. Inscr. Samothr. p. 34. (Diss. Antiquar. p. 227.). — Cf. Silvestre de Sacy ad Santocr. T. 2. p. 66.

52) Kanne Anal. p. 53. Zoëga Diss. p. 212. 41. — I nunc, et confusas hasce notiones ad prima Graeciae tempora rejice!

XXXVI.

Quae quum ita sint, omnes cosmogonias Orphicas, quas serior Graecorum aetas novit, ad Hesiodeae theogoniae, et ad veterum philosophorum operum περὶ φύσεως exemplum compositas, deinde vario modo corruptas et interpolatas esse, facile sibi quisque persuadebit. Simile fatum sortiti sunt ἱεροὶ λόγοι, quorum notio, per se simplex, mirum in modum a sacerdotibus amplificata est [53]). Spissum sub illo nomine exstabat opus, cujus viginti quatuor libri laudantur, quorum auctores fuisse dicuntur Cercops Pythagoreus [54]), Theognetus Thessalus, Thelauges; insignis vero earundem rhapsodiarum interpolator fuit Aristobulus [55]). Ex hoc carmine μυστικωτάτῳ Pythagoram omnem numerorum doctrinam, subtilem illam et reconditam, hausisse, ipsumque sub eodem nomine similis argumenti librum composuisse, Jamblichus, homo credulus et ineptus fabulator, refert [56]). Duplex autem ἱερὸς λόγος antiquitus exstabat sub Pythagorae

---

53) De natura horum librorum v. Hermann. ad Creuz. p. 83., de natura Mythol. p. 31 sqq., Creuzer. ad Hermann. p. 101., Hug. de mytho p. 11. 15. — Accurate et docte nuper de iisdem exposuit Lobeck. de myster. argum. 1. 2. 3., qui in illis sacrorum rituum, nominum, monumentorum varias causas atque mutabiles explicatas esse docuit, historicas, physiologicas, morales. *Hierologias istas a philosophia alienissimas ac fere totas ex fabulari historia repetitas fuisse; quae autem hierophantae ferantur in mysteriis celebrandis loquuti esse, minime huc spectasse, ut initiatis symbolorum altiorem intellectum aperirent; sed fuisse narrationem de ortu hujus sacri fabulose tradito, deque prima institutione.* — Cf. eundem de praecept. myst. 2. p. 12.

54) Epigenes ap. Clem. Alex. 1. p. 333. Suid. v. Ὀρφ. Eudoc. p. 318. cf. Voss. de art. poet. 13, 3. T. 3, 2. p. 31., Eschenb. p. 139., Menage ad Diog. L. 8, 7., Fabric. Bibl. Gr. T. 1. p. 161 sq., Interpp. ad Cic. de N. D. 1, 38.

55) Eschenb. p. 143. 148. Valkenaer. p. 79. Sacy ad Santocr. T. 2. p. 62. v. sup. p. 107.

56) Jambl. Vit. Pyth. 28. p. 304. Kiessl. — Hoc demum Neo-Platonicorum aevo ista opinio vulgari coepit, quam Proclus (Theolog. Plat. 1, 5.) ita enuntiat: Ἅπασα ἡ παρ' Ἕλλησι θεολογία τῆς Ὀρφικῆς μυσταγωγίας ἔκγονος, πρώτου μὲν Πυθαγόρου παρ' Ἀγλαοφήμου τὰ περὶ θεῶν ὄργια διδαχθέντος, δευτέρου δὲ Πλάτωνος ὑποδεξαμένου τὴν παντελῆ περὶ τούτων ἐπιστήμην

nomine, alter prosa Dorica scriptus, versibus hexametris alter; utriusque fragmenta quaedam restant, quae de hac re dubitationes non admittunt. Hujus initium Heraclides in Sotionis epitome apud Diogenem Laertium servavit [57]):

Ὦ νέοι, ἀλλὰ σέβεσθε μεθ' ἡσυχίας τάδε πάντα.

Supersunt quoque versiculi, ex Orphico *ἱερῷ λόγῳ* petiti. Maxime memorabilis est in suo genere vetusti grammatici testimonium:

Οὓς καλέουσι Γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν,
οὕνεκα Γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος οὐρανίοιο [58]).

Nec solum eodem scribendi studio, atque Orpheus, tenebatur Pythagoras; sed etiam similes fabellas, quales de dulcedine vocis Orphei narrantur, ad eum retulerunt seriorum Pythagoricorum frandes. Nobile exemplum praebet Jamblichus, qui Pythagoram eloquentia sua id valuisse perhibet, ut animalia etiam admonere et docere potuerit. Sic ursam quondam, offis demulsam, jurejurando adegit, ne in posterum homines pecoraque infestaret. Porro bovem, fabis vescentem, eloquentia sua persuasit, ut sponte sua fabis abstineret; — "his et similibus documentis, pergit fabulator iste, demonstravit Pythagoras — *τὴν Ὀρφέως ἔχων ἐν τοῖς θηρίοις ἡγεμονίαν, καὶ κηλῶν αὐτὰ καὶ κατέχων τῇ ἀπὸ τοῦ στόματος τῆς φωνῆς προϊούσῃ δυνάμει* [59])." Qui tam aniles ineptias Pythagorae affingere non erubue-

ἔκ τε Πυθαγορείων καὶ Ὀρφικῶν γραμμάτων. His admissis, quae tandem vel minima de philosophia merita celebratissimis Graeciae philosophis maneut? Cf. sup. p. 100.

57) Diog. 8, 7. — Alterum *ἱερὸν λόγον* prosa Dorica scriptum fuisse fragmentum probat ap. Jambl. 28. p. 308. cf. Procl. ad Euclid. p. 7., auctor. theologum. arithm. p. 19. — Magna vulgo confusio in hac re obtinet.

58) *Οὕτως Ὀρφεὺς ἐν τῷ ὀγδόῳ τοῦ ἱεροῦ λόγου.* Etymolog. M. p. 231, 21. v. *Γίγας.* cf. Orum in eodem Etym. p. 787, 29. v. *Φάνης.* Ruhnken. Ep. Crit. 2. p. 230., Valkenaer. p. 80.

59) Jambl. 13. p. 126., qui ejusmodi quisquiliis refertissimus est.

runt, nonne alia omnia ab iisdem ei afficta esse existimemus? Num credibile est, Platonem et Aristotelem, philosophorum principes, silentio praeteriisse, si omnem disciplinam Orphicam Pythagoras suam fecisset?

XXXVII.

Quaestiones de mysteriorum Graecorum natura, etsi saepissime inter viros doctos agitatae, tamen conjecturis tantum maxime inter se dissidentibus locum praebuere. Ac quis certi aliquid de ea pronuntiare ausit, quum ne ipsi quidem veteres aliud quidpiam, praeter silentium, illinc reportaverint? Nam qui libri de mysteriis scripti erant a veteribus, ab Arignote Pythagorea, Melanthio, Menandro, Hicesio, Philochoro, Demetrio, Sotade, Stesimbroto, Neanthe, aliis, ii exotericam partem explicabant. Nisi vero praeter vulgarem polytheismum, sublimiora etiam in mysteriis tradita essent; qui tandem fieri potuisset, ut summus iis honor per tot secula constiterit? Quomodo tanta admiratione de iisdem loqui potuissent Pindarus, Sophocles, Plato, Cicero [60]), Epictetus, Pausanias, alii,

60) Pindar. Fr. XLVI. (ap. Clem. Alex. Str. 1. p. 433.), Sophocl. Fr. LVIII. (ap. Plut. de aud. poet. p. 21. T. 6. p. 76. R. T. 7. p. 81. H. et ap. Clem. 3. p. 518. cf. Muenter. Inscr. Sam. p. 40. Diss. Antiquar. p. 237.), Plato Phaedo. p. 140. 157. Bip. cf. Ouwaroff. de myst. p. 123 sq.; Cicero de N. D. 1, 42. Tusc. Q. 1, 12.; Pausan. 10, 31, 3. et alibi. — Infamarunt mysteria Patres Christiani, Arnobius (adv. gent. 5. p. 215.), Tertullianus, (adv. haeret. 40. p. 339.) qui diabolum eorum inventorem facit; Clemens, qui ab Eusebio (Praep. Ev. 2. p. 61.) πάντων διὰ πείρας ἐλθὼν ἀνὴρ vocatur (Protrept. p. 10.; secus tamen sentit Str. 5. p. 650. (575.)); similique ratione Athenagoras et Justinus Martyr. Cf. Van Dale de oraculis p. 387. — Si quis igitur tum ex his scriptoribus, tum ex iis omnino, qui post divulgatam religionem Christianam vixerunt, nos docere velit, quam nihil sani in mysteriis Graecis traditum sit; contra initiatos nonnisi superstitionibus ceremoniarum castimoniarumque et religiosae abstinentiae regulis alligatos fuisse; in illis mera spectacula ambigua, versatilia, fallacia, exhibita esse (Lobeck. de praec. myst. 1. p. 5., 2. p. 14.): is nihil amplius efficit, quam quod nos etiam persuasum habemus, mysteria gliscente barbarorum rituum aemulatione a pristina sinceritate degenerasse; ad meliora Graeciae tempora tam serorum, et per se jam intestabilium, scriptorum auctoritas nullam apud nos habet vim.

nisi disciplina illa communes de diis notiones longe superasset [61])? — Verumtamen etiamsi nihil aliud de mysteriis sciremus, nisi quod physicae deorum notiones inde ab antiquissimis temporibus in iis sint traditione propagatae; jam hoc perfectissimum argumentum nostrae sententiae de carminibus cosmogonicis, aetate Orphica compositis, adderet. Haec autem carmina non simpliciter tantum ab hierophantis recitata, sed occinente etiam lyra cum mimicis saltationibus repraesentationibusque decantata sunt. Sic in Eleusiniis inventio et pretium agriculturae sub fabulari Cereris et Proserpinae historia symbolice et mimice repraesentata est [62]). Quid? quod sacra quaedam scripta in mysteriis servata sunt, quorum lectio epoptis tantum concessa erat [63]). Quid? quod Aristoteles mysticorum deorum naturam haud obscure subindicavit. "Ab antiquissimis, inquit, et antiquis sub fabularum involucris ea sententia ad nos pervenit, ut astra sint dii, et ut ***divinum numen universam naturam circumdet*** [64])." Unicus profecto in suo genere locus; quem tamen quidam eo detorserunt, ut Aristotelem hoc e sententia antiquorum philosophorum, qui poetarum testimonia artificiosa interpretatione corruperint, retulisse statuerent. At Aristoteles omnium religiosissimus est in poetarum sententiis laudandis; neque

---

[61]) Heeren. Ideen. T. 3. p. 95. (92.), Ouwaroff. de myst. p. 40. 87. 123., de Nonno p. 24., de aet. Ante-Hom. p. 22., Schelling. de diis Samothr. p. 29 sqq. — Subtilissimas de rebus divinis notiones, quales nos demum concepimus, vetustis mysteriis perperam tribuit auctor dissertationis *on the Eleusinian and Bacchic mysteries* p. 64. 122 sq. Alias aliorum opiniones vid. ap. Brucker. T. 6. p. 202-205., et Sacy ad Santocruc. T. 1. p. 443 sqq.

[62]) Heeren. T. 3. p. 96. (93.), Creuzer. Symb. T. 3. p. 447. (473.) T. 4. p. 519. (555.), Ouwaroff. de myst. p. 35., Welcker. Zeitschr. 1. p. 116. — Mysticae saltationis auctorem Orpheum facit Lucian. 15. T. 2. p. 277. — Cf. Xenocrat. ap. Porphyr. de abst. 4, 22., Lys. contr. Andoc. p. 61 sq., Isocrat. Paneg. p. 91. — Heyne Comm. G. T. 8. p. 14., Tiedem. p. 24., Kanne Mythol. p. XLVIII. 129. 132.

[63]) Galen. περὶ τῆς τῶν ἁπλ. φαρμ. δυν. 7. init. cf. Paus. 8, 15, 1.

[64]) Aristot. Metaph. 12, 8.

ipse potest incusari, quod interpretamenta ista suae sententiae accommodaverit.

At ne nostra disputatio nimis vaga sit et quasi errabunda, circa mysteriorum naturam in universum haerens; ad ea protinus accedamus, quae nostro consilio propiora sunt. Quamvis enim omnibus genuinis Graeciae mysteriis eadem omnino natura fuit; tamen in singulis ritibus, eorumque causis explicandis, diversa fuisse videntur. Simillima autem fuere Cerealia et Bacchica, quorum conjunctio in Eleusiniis quaerenda est [65]).

XXXVIII.

Dionysus mysticus plane diversus fuit antiquissimis temporibus a Dionyso, quem vulgus colebat. Ille apud Pindarum Cereris Thebanae assessor appellatur [66]): ideoque ad vetustissimam deorum Cabirorum religio-

---

65) Ouwaroff. de Eleus. p. 88. 95., Sacy ad Santocruc. T. 2. p. 72 sq., Gail. de cultu Bacchi p. 81. — Bacchi mysteria eodem orgiasmo eodemque furore, ac Phrygia Cybeles sacra, et, si diis placet, Cotyttia peracta esse, Levesquii est commentum (Traduct. de Thucyd. T. 3. p. 314.); nec multum Fr. Schlegelius hinc abest, qui furibunda ejusdem Cybeles imagine, qualem Lucretius exhibet (2, 598-642.), deceptus, toti Graecae antiquitati furorem injecit; cf. Heyne Comm. G. de sacr. c. f. p. T. 8. p. 14.; qui alioquin rectissime sentit, *Hellenum sacra cum furore peracta esse nulla* (de Gr. or. ibid. p. 25., de Mus. ibid. p. 41.).

66) Δάματρος πάρεδρος Pind. Isth. 7, 3., Δάματρος δαίμων, Strab. 10. p. 717. Δημήτριος Nicetas ap. Creuz. Melet. 1. p. 21. — Ita repraesentatur ap. Hamilton. T. 3. tab. 36. p. 53. — Similiter ap. Montfaucon. T. 1. p. 45., Antiq. of Wiltonhouse p. 39., Millin. Gal. Mythol. 49, 276., Tischb. Vas. 4, 36. v. Welcker. Zeitschr. 1. p. 102., Zoëga Bassiril. 14. p. 172. cf. Kanne Mythol. p. 136. — Propter hunc connexum Dionysus ipsius Cereris filius dictus est (Diod. 3, 62., Arnob. adv. gent. p. 13. cf. Creuz. Stud. T. 2. p. 262.); hinc Διόνυσος ἐπὶ τῷ μαστῷ (Suid. Ἴακχος. cf. συναγωγὴ λέξεων χρησίμων in cod. Coislin. 345. fol. 115., Plut. Caes. p. 711. d.), quem Creuzerus (Symbol. T. 3. p. 337. (345.)), Sacy (ad Santocr. T. 1. p. 200.), et Gail (de cult. B. p. 51.) jam apud Sophoclem (Antig. 1103 sqq.) vident; insigni profecto errore (neque ap. Lucret. 4, 1162. quidquam legitur). Semeles filium satis indicant Sophoclis verba: Καδμείας νύμφας ἄγαλμα

nem, quae in Samothracia abiit in mysteria, pertinet. Vocatur vero Jovis et Proserpinae filius; unde facile ejus cum Cerere connexus apparet [67]). A Rhea eum educatum esse, serior est Graecorum fama, neque prius orta, quam Rheae, Terrae matris, cultus mere Phrygius, cum Cereris religionibus confusus esset [68]). Hic igitur Dionysus proprio et Thracico nomine Zagreus appellatus est. Zagreus autem idem est, atque Jacchus Eleusinius: illud nomen arcanum erat; hoc magis vulgatum [69]). Sub Zagrei nomine arcana ei fiebant sacra a quinque *ὁσίοις* Delphicis [70]). Ab

---

καὶ Διὸς βαρυβρεμέτα γόνος. Deinde Δηοῦς κόλποι sunt Cereris *arva*, non *mammae* (v. Schol., et nunc. J. H. Voss. Antisymb. p. 128.). — Dionysus ἐπὶ τῷ μαστῷ comparet ap. Eckhel. doctr. num. T. 3. p. 442. — Cf. Anthol. T. 3. p. 292. Jacobs. Animadv. T. 3, 2. p. 237. 3. p. 139. — Caeterum mysticus ille Dionysus Thebis, et alibi, repraesentatus est barbatus (Berger Thes. Brandenb. T. 1. p. 473., Combe Num. vet. pop. tab. 49. nr. 4., Mus. Pio-Clem. descritto da Visconti T. 2. tab. 41. cf. Paus. 2, 30, 1. 5. 19, 1.); Eleuside vero juvenili forma.

67) Schol. ad Pind. Isth. 7, 3. Arrian. exp. Alex. 2. 16., Cic. de N. D. 3, 23. ibiq. Davis. p. 617. Creuz., Freret. Mem. T. 23. p. 254 sqq., Gail. p. 10. — Terpandri testimonium (ap. Lyd. de mens. p. 82.) a Creuzero (Symbol. 3. p. 338.) perperam allatum est (v. Voss. Antisymb. p. 338 sq.).

68) Ipsum nomen eo ducebat; γᾶ, Δᾶ, γῆ, Δῆ, Δηώ, Δημήτηρ. cf. Musgrave ad Eurip. Hel. 1320. 1369. Eustath. ad Od. 11, 115. p. 421., Interpp. ad Hym. in Cer. 47. 122., Spanh. ad Call. in Cer. 133., Mém. de l'Acad. T. 36. p. 75., Creuz. Melet. 1. p. 26., Kanne Mythol. p. 123 sqq., Schelling. de diis Sam. p. 57. — Utriusque deae confusionem bene exposuit J. H. Voss. Ep. Myth. T. 2. p. 122 sqq. — Apud Pindarum (l. l.) Ceres audit χαλκόκροτος, quod epitheton schol. explicat: παρὰ τὰ ἐπικτυποῦντα ἐν ταῖς τελεταῖς τῆς Δήμητρος κύμβαλα. Id autem proprium erat Rheae sacris.

69) Bene Schol. Pind. l. l. πάρεδρον δὲ Δήμητρος εἶπε τὸν Διόνυσον κατὰ μὲν τὸν μυστικὸν λόγον, ὅτι παρεδρεύει ἑαυτῇ ὁ ἐκ Περσεφόνης γεγονὼς Ζαγρεὺς Διόνυσος, ὁ κατὰ τινὰς Ἴακχος. (Apud Apollodorum 3, 14, 7. Ceres et Dionysus eodem tempore in Atticam veniunt.) Minus bene distinxit O. Mueller. Orchom. p. 384. — Quae Zoëga de tumultuoso et feroci Bacchi Thracis cultu observat (Diss. p. 20 sqq. cf. O. Mueller. Dor. T. 1. p. 290.), ea ab antiqua Graecia prorsus aliena sunt; et ad Sabazium Phrygium pleraque spectant, vel ad alios barbaros deos, Graecis serius obtrusos.

70) Plut. de Is. et Os. 35. T. 7. p. 419. R., de Ei ap. Delph. p. 527., Clem. Alex. Protrept. p. 15. cf. Zoega Diss. p. 19., Santocr. T. 2. p. 54. 86. 205., Mueller. Or. p. 383.

hoc vero Zagreo diversissimus fuit ab initio Dionysus, Jovis et Semeles filius, cui nulla cum Cerere conjunctio: etsi minime negandum, utriusque dei notiones serioribus temporibus esse confusas. — Qui inter plures etiam Bacchos distinguunt, ut Nonnus, quem plures recentiorum sequuti sunt[71]), ii diversas ejusdem cultus periodos, variasque mutationes, pro diversis diis habent. Nihil autem Jacchus Eleusinius a Zagreo Thrace differt, cui mysteria una cum Cerere erant condita[72]). Primus hujus sacerdos Orpheus fuisse perhibetur, qui mysteria ejus vel invenit, vel ad certiorem religionis rationem redegit[73]). Utrumque traditur a probatis auctoribus; ac, quantum nobis scire licet, nemo e veteribus Bacchicorum mysteriorum inventionem vel amplificationem Orpheo abjudicare ausus est certis argumentis ductus. — Antiquissima de mysteriis Orphicis, seu Bacchicis, auctoritas est Eumeli Corinthii, poetae cyclici, qui sub olympiadum initia vixit[74]); deinde sequuntur poetae Attici, Aeschylus apud Aristophanem, et Rhesi auctor[75]), qui etiamsi Euripides non est, tamen non

---

[71]) Dionys. Nonni 48, 958. (qui tamen 47, 538. recte distinguit ἀρχίγονον Ζαγρέα ab ὀψιγόνῳ Διονύσῳ) Villioson. de trip. theolog. 3, 5., Ouwaroff. de Eleus. p. 86 sq. — Quinque Bacchos statuit Lucius Ampelius ap. Ouwaroff. p. 98.

[72]) Schol. Soph. Antig. 1103: κοινὰ γὰρ τὰ μυστήρια Δήμητρος καὶ Διονύσου. Meurs. Eleus. p. 77 sq. Lect. Att. 1, 15. p. 27. Musgrav. ad Eurip. Jon. 1093., Erfurdt. ad Soph. Antig. 1106., Santocruc. T. 1. p. 199. — Secundum Boettigerum (de pictura vet. 1. p. 187.) haec mystica conjunctio stirpem Jonico-Atticam distinguit ab Aeolico-Dorica.

[73]) Orphei et Musaei hymni in Bacchum satis antiqui olim exstabant, qui haud dubie ad Eleusinia pertinebant (Aristid. Laud. Bacchi T. 1. p. 51. Steph.). Similem laudat Arrian. exp. Alex. 2, 16. cf. Santocruc. T. 1. p. 202., Passow. Mus. p. 45.

[74]) Ap. Schol. Hom. Il. 6, 130., quem locum in alia re laudat Zoega (Diss. p. 16.). — Notum autem est, poetas cyclicos in *antiquioribus* mythis contexendis in primis occupatos fuisse.

[75]) Arist. Ran. 1021. Rhes. 946. — Observatione dignissimum est, quod, ubicunque Graeci de conditis mysteriis loquuntur, verbis utuntur, quae sana crisis nonnisi ad symbolicas et mimicas eorum repraesentationes referet: δεικνύναι, καταδεικνύναι, ἀναφαί-

multo post eum vixit. His adjunge Demosthenem, et Ephorum apud Diodorum [76]), ubi de Dactylis Idaeis disputat, qui in Samothracia Orpheum, *φύσει διαφόρῳ κεχορηγημένον πρὸς ποίησιν καὶ μελῳδίαν*, mysteria primum docuerint. Quod singulare testimonium, quamvis ob ipsam Dactylorum Idaeorum mentionem nobis fictum videtur, tamen hoc certe probat, Orpheum non in omnibus traditionibus mysteriorum auctorem et inventorem fuisse, quod Apollodorus de Bacchicis diserte affirmat [77]), sed primum inter Graecos amplificatorem; quas partes Herodotus quoque sequitur, qui Melampodem antiquiorem auctorem laudat. Mirum sane est, quod Herodotus tam parcus est in antiquissimorum theologorum rebus proferendis et explicandis. Res sacras vel verbo tantum indicat, vel prorsus silet; numquam exponit [78]). Quae res facile aliquem inducere possit, ut putet, Herodotum fuisse initiatum, vel certe religionibus nimis obnoxium. Sic illo etiam loco tantum abest, ut, quomodo mysteria Bacchica,

---

νειν, ἐκφαίνειν. Hinc apparet, cur exculta sequentium poetarum lingua iisdem verbis usa sit pro *docere*. Vid. Mitscherlich. ad Hym. in Cer. 479. p. 224., Creuzer. Ars histor. p. 4., Symb. T. 1. p. 11., Commentt. Herodd. p. 171 sq.

76) Demosth. in Arist. p. 772.. Diod. 5, 64. Ephor. Fr. p. 176. Marx. Haec narratio e sententia Diodori non potest profecta esse, (ut Tiedemann. p. 20 sq. putat, et Santocruc. T. 1. p. 61., et Bendtsen. de Samothr. p. 113. cf. Foucher. Mém. T. 35. p. 75.), quippe quem sciamus, Orpheum in Aegyptum misisse (1, 96. quem locum prolixa disputatione illustrat Dornedden. Nova Theor. p. 294 sqq. cf. Phamenoph. p. 234 sqq.), ut hinc mysteria in Graeciam transfretaret; id quod Herodoto (2, 79.) ne de Melampode quidem cognitum erat. Ergo et illa narratio, qua Orpheus avita et paterna Bacchi mysteria magis amplificavit et exornavit (3, 64.), e Diodori sententia (ut Zoëga statuit, Diss. p. 13., et Santocruc. T. 2. p. 49., et Gail. p. 101.) prolata non est; sed ex antiquioribus scriptoribus iterata. — Diodori judicium incredibile dictu est quantopere sacerdotes Aegyptii corruperint.

77) Apollod. 1, 3, 2: *εὗρε καὶ Ὀρφεὺς τὰ Διονύσου μυστήρια.*

78) E. c. 2, 3. 45. 46. 47. 51. 61. 62. 65. 86. 132. 170. 3, 125. 4, 43. 6, 134. 145. cf. Creuzer. Commentt. Herodd. p. 31. 35 sq. 95. — De Melampode et sophistis vid. sup. p. 52.

chica, a Melampode Graecis monstrata, ad certiorem religionis rationem revocata sint, explicet, ut ne nomina quidem illorum sophistarum, quos vocat, in medium proferre audeat.

Itaque Orpheo non Bacchicorum tantum mysteriorum, sed omnis omnino mysticae religionis inter Graecos inventio vel amplificatio tributa est a veteribus [79]). Nolo hic diversas diversorum scriptorum sententias de diversis mysteriorum institutis, quae per Graeciam olim floruerunt, excutere. Nobis Bacchica tantum mysteria curae sunt, quae Eleuside cum Cerealibus conjuncta fuisse scimus. Quippe Dionysus ille, qui et Jacchi et Zagrei nominibus appellatur, vel Cereris, vel Proserpinae filius, vel Cereris assessor habitus est; unde arctissimus utriusque numinis connexus satis apparet. Cereris vero cultus cum antiquissima Cabirorum religione, ad quam semper respicere convenit eos, qui quamcunque arcanam inter Graecos religionem investigandam sibi sumpserunt, arctissime cohaeret [80]); et primitiva ejus sedes Thebae sunt, ubi nobilissima quoque conjunctio illa cum Dionyso quaerenda est, ut Pindarus indicat. Hinc Eleusidem aliquando utrumque numen profectum esse oportet; quod nisi maturius, tamen eo jam tempore factum est, quum et Pelasgi et Thraces ex illis regionibus fugati et dissipati essent, hoc est, seculo undecimo ante Chr.

XXXIX.

Mythus de Baccho dilacerato ad praecipuos, qui in mysteriis traditi dicuntur, referendus est. Recentiorum quorundam magis cupidas, quam

[79]) Eleusiniorum institutum ei tribuitur a Diodoro 5, 77. (cf. Theodoret. Therap. 1. T. 4. p. 468. a. Op. Strab. 10. p. 471. a. 4. p. 193. Tz.). Cereris Chthoniae mystica religio ap. Lacedaemonios (Paus. 3, 14, 5. cf. O. Mueller. Dor. T. 1. p. 399. — Id male interpretatur Barre Mém. T. 16. p. 21.). Aeginetarum mysteria (Paus. 2, 30, 2. cf. O. Mueller. Aegin. p. 173.; negat Tiedemann. p. 19.)

[80]) O. Mueller. Orchom. p. 450. — De Dionyso Cabiro vid. eund. p. 384.

veras hujus rei disquisitiones omnino missas facimus [81]). — Pausanias, memorabili loco: "Homerus, inquit, Titanes primus in poesin introduxit (unde hoc scire potuit auctor?). Ab Homero Titanum nomen Onomacritus petiit, Dionysi orgia condidit, et Titanes Dionysi interfectores fecit [82])." Quid, quaeso, hinc colligi potest, omni disputandi cupiditate remota? Nihil aliud, ut opinor, nisi quod Onomacritus Dionysum a *Titanibus* dilaceratum esse perhibuit. Num, obsecro, inde sequitur, totam fabulam de morte, ab irata Junone Baccho immissa, primum Onomacritum finxisse? Immo haec jamdudum decantata erat a Terpandro, altero quasi Orpheo [83]). Neque orgia Bacchi primus iste condidit; vetat Eumeli auctoritas. Quodsi igitur Terpander hunc mythum jam novit, quid mirum, poetas etiam tragicos, qui res Bacchicas, a quibus omnis artis dramaticae origo repetenda est, saepissime in scenam produxerunt, eundem adhibuisse? Respexit certe Aeschylus in Lycurgi fabula; respexit quoque Euripides in Cretensibus [84]). Num autem, hac re diligenter aestimata,

---

[81]) Bene de hoc mytho meruit Zoëga Bassiril. 14. p. 170 sqq., et post eum Creuzer. Symbol. T. 3. p. 341 sqq. (349 sqq.) cf. Philochori Fr. p. 120 sqq. — Totam narrationem pro Onomacritei ingenii abortu venditat Lobeck. *de morte Bacchi*; deinde J. H. Voss. Antisymbol. p. 274., ubi ad Ol. 70. eam refert; p. 338. vero ad Ol. 60!

[82]) Pausan. 8, 37, 3.: Τιτᾶνας δὲ πρῶτος εἰς ποίησιν ἐσήγαγεν Ὅμηρος, θεοὺς εἶναι σφᾶς ὑπὸ τῷ καλουμένῳ Ταρτάρῳ· καί ἐστιν ἐν Ἥρας ὅρκῳ τὰ ἔπη. παρὰ δὲ Ὁμήρου Ὀνομάκριτος παραλαβὼν τῶν Τιτάνων τὸ ὄνομα, Διονύσῳ τε συνέθηκεν ὄργια, καὶ εἶναι τοὺς Τιτᾶνας τῷ Διονύσῳ τῶν παθημάτων αὐτουργούς.

[83]) J. Lydus de mens. p. 82: "Terpander Lesbius, inquit, Nysam vocat nutricem Dionysi (a quibusdam *Sabazius* appellati), qui natus sit ex Jove et Proserpina." Quae novissima verba non ad Sabazium pertinent; hic enim ad tumultuosam Phrygum religionem spectat, et Bacchi filius audit, vel Cabiri Phrygii (Harpocrat. et Suid. v. σαβός. Schol. ad Arist. Vesp. 9. Cic. de N. D. 3, 23. cf. Gail. p. 21. 211.); sed ad Dionysum sive Zagreum. Itaque frustra obloquutus est J. H. Voss. Antisymb. p. 338.

[84]) Aesch. ap. Aristoph. Thesmoph. 145., Eurip. ap. Porphyr. de abst. 4. p. 366. Rhoer.

probabile videtur, totum de Baccho dilacerato mythum, Pisistratidarum deflorescente aevo ab Onomacrito recens fictum, ab aequalibus poetis, ut Aeschylo, in scenâm illico productum esse? Non tanta profecto fuit Onomacrito Athenis apud tragicos poetas auctoritas, ut ejus fabellas vixdum conflatas de scena docerent; quippe qui fraudum essent memores, quibus antiquam Orphei Musaeique poesin interpolaverat. — At cum mythum illum vetustissimum esse contendo, nolo statim cum aliis narrationem, qualem Clemens et Nonnus nobis servarunt [85]), pro genuina venditare: Immo haec ea videtur esse, quam Pausanias ab Onomacrito amplificatam esse, productis Titanibus, refert. Antiquiorem ejus rationem, a tot poetis variatam et exornatam, hodie vix possumus divinare: et in re tam dubia satius est ignorantiam profiteri, quam ad vanas hariolationes delabi. Nobis sufficit etiam fabulae summa, Bacchum discerptum esse: quae res simile Orphei, primi sacerdotis Bacchi, fatum nobis in memoriam revocat. In vulgus autem notum est, sacerdotes easdem personas induere, eademque fata e veterum traditionibus subire solere, atque ipsi dii, quorum sacerdotes sunt [86]). Ut igitur Zagreus-Dionysus a Junonis ultoribus dilaceratus est, ita Orpheus a Maenadibus; quas Junonis ultricum partes aliquando suscepisse probabile est. Cujus fabulae causa diversissimis quidem aliis modis tradita est. Sic Aeschylus in Bassaridibus Orpheum, qui ab Apolline lyram accepisset, et Apollinem habuisset summum deum, Bacchum contra contemsisset, produxit, eumque ob ipsum Bacchi contemtum a Maenadibus interfectum esse docuit [87]). Hinc Creuzerus primum colle-

[85]) Clem. Alex. Protrept. p. 15. Potter. Nonn. 6, 174. Creuzer. Symbol. T. 3. p. 341. (351.)

[86]) Schelling. de diis Samothr. p. 83., Creuzer. Symbol. T. 3. p. 447. (473.). Similia vid. ap. Santocruc. T. 2. p. 86.

[87]) Eratosthen. Catast. 24. p. 19. Schaub. cf. Timoth. ap. Euseb. p. 4. Scal. Mueller. Dor. T. 1. p. 289., Orchom. p. 383. — Perperam illum locum ceperunt Tiedemann.

git, Apollinem fuisse Solem, quod philologus Alexandrinus Aeschylo jam subjecerat: deinde primitivam Orphei disciplinam ad Apollinis, non ad Bacchi cultum pertinuisse; ideoque diversa *systemata Orphica*, sibi prorsus opposita, statuenda esse. Quod ad primum istud attinet, nec Aeschylus quidquam de Sole et Apolline eodem deo suspicatus est. Mirus fuisset poeta, si in Bassaridibus tantum utrumque deum confudisset; in aliis autem, quae aetatem tulere, tragoediis probe distinxisset [88]). — Alterum de Orpheo Apollinis, non vero Bacchi, sacerdote, nescio an eam possit vim habere, ut sola tragici poetae, qui Orphei mortem probabili modo explicare voluit, auctoritate nisi, plura systemata Orphica sibi opposita fuisse, tam certo nobis, quam Creuzerus, persuadeamus. Reliqua autem loca, quae in eandem sententiam subjuncta sunt, ad alias res aptius retuleris, ut in superioribus passim demonstravimus. Ad Hermiae auctoritatem quomodo alicui confugere, et triplicem scholam Orphicam hinc nobis obtrudere liceat, non video. Hermias non is est, quem in rei alicujus antiquitate demonstranda testem adhibeas. Deinde neque Hermias, nec quispiam alius veterum, de diversis *scholis* Orphicis loquutus est. Ille tres Or-

---

p. 32., Depuis origine T. 1. p. 13., Clavier. hist. T. 1. p. 85. — Diversa mortis genera, quae Orpheus subiisse dicitur, recensere nihil attinet. Memorabile autem est epigramma, apud Dium, antiquissimam fabularum Orphicarum sedem, repertum; v. Diog. L. 1, 3.:

Θρήϊκα χρυσολύρην τῇδ' Ὀρφέα Μοῦσαι ἔθαψαν,
ὃν κτάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει.
Orphea, candenti percussum fulmine, Musae
Hic posuere, lyrae pectine conspicuum.

[88]) E. c. Supplic. 198. — Originem istius confusionis vid. ap. Hug. de mytho p. 55., O. Mueller. Dor. T. 1. p. 289., Siebelis. Philoch. Fr. p. 11. 94. Vulgaris opinio, Apollinem, primis Graecis pro Sole habitum, per longam annorum seriem disparuisse, et posthac iterum comparuisse in antiqua sua confusione (Kanne Mythol. p. 82.), nescio qua ratione defendi queat. Non assequor certe, quomodo numen, tam manifestum coelo sereno, apud hilarissimum populum mysteriorum tenebris, quantumvis spissis, unquam potuerit obscurari.

pheos, e Thracia oriundos, fuisse tradit [89]). Suidas quinque recenset. Inter duos Herodorus distinxerat.

Verumtamen primo quidem obtutu singulare alicui possit videri, quod Orpheus et Bacchi et Apollinis cultor appellatur. At qui recte aestimaverit ea, quae veteres de gemino Bacchi cultu, publico et arcano, orgiastico et miti, furibundis Matris Idaeae religionibus simili, et cum placido Apolline, Musis et Gratiis conjunctissimo, tradiderunt, nihil miri hic deprehendet. Acerrimae rixae, quae de Lycurgo, Pentheo et Belidis memorantur, sive sint verae, sive fictae, ad publicum Bacchi cultum spectant, et hic omnino missas facimus. Eas Orphica aetate jam compositas esse oportet.

XL.

Apollineae religionis cum Bacchica conjunctae haud obscura apud veteres exstant vestigia. Bacchi cultus Thracibus, qui Boeotiam et Phocidem incolebant, proprius erat. In eadem Phocide Dorienses, e Creta, quo antiquissimis temporibus e Thessalia profecti erant, advenae, Apollini, numini mere Dorico, sacra condiderant [90]). Ad Heliconis radices sita erat Nysa urbs, antiquis Dionysi religionibus nobilitata, unde ipse deus nomen traxit [91]). Ut autem Helicon et Parnassus continuo montium

89) Herm. in Plat. Phaedr. p. 109. Ast. cf. Fr. Orph. p. 505. Herm. De reliquis vid. sup. p. 40.

90) O. Mueller. Dor. T. 1. p. 212 sq. haec ponit circa 200 ante Doriensium migrationes; quod tempus omnino convenit cum Orphicae poesis flore, e rationibus supra a nobis propositis

91) Aristoph. Ran. 215.: Νυσήιον Διὸς Διόνυσον. Apollon. Rhod. 2, 905. 4, 1134.: Διὸς Νυσήιον υἷα. cf. Pindar. ap. Etym. M. v. Cf. Foucher. Mém. T. 35. p. 74., Hancarville origine etc. T. 1. 116. cf. 222. — Freret. Mém. T. 23. p. 257. derivat a Διὸς et νῦσος, *Jovis pullus.* Ohe! Zoëga (Diss. p. 21. 219.) a Διὸς [illegible]; quod Welckerus p. 359. im-

tractu fere cohaerent, ita Dionysi et Apollinis cultus in iisdem regionibus mature conjunctus et celebratus est. Unus fons erat, qui incitabat et Maenadem et Pythiam [92]). In Parnasso Dionyso et Apollini, tamquam uni deo, sacra fiebant. Delphis monstrabatur Dionysi sepulcrum apud auream

probat. Alias, ex parte ineptas, derivationes vid. ap. Eudoc. p. 119., Cic. de N. D. 3, 23., Hygin. 131. 167., Fr. Orph. ap. Macrob. Sat. 1, 18. cf. Eckhel. Doctr. num. T. 2. p. 587., Moser. ad Non. p. 201., Creuzer. Symb. T. 3. p. 123. (137.). — Indicas etymologias, quae subinde tentatae sunt, valere jubemus, et eo relegamus, quo nuper abducta est loquendi formula κόγξ, ὄμ, πάξ, quam pio animo e samscritica lingua interpretatus est Wilfordus (Asiat. Research. T. 5. p. 297.), probavitque Muenter. Inscr. Samothr. p. 34. (Diss. antiquar. p. 229.), Creuzer. Symbol. T. 4. p. 536. (573.), Ouwaroff. Eleus. p. 29. 114., Schelling. de diis Samothr. p. 91., Link. Urwelt. T. 1. p. 341. (Alias ejusdem formulae explicationes vid. ap. Meurs. Eleus. 11., Eschenb. p. 17., Clerc. Bibl. univ. T. 6. p. 74., Larcher. Supplem. ad philos. hist. p. 370. et ap. Barthelemi. Voyage d'A. T. 5. p. 538., Court. de Gébelin Monde pr. T. 4. p. 323., Hammer. Annal. Vindob. 1817. nr. 15., Sacy ad Santocr. T. 1. p. 387.). — Quid autem Graecis significant istae voces? Nihil aliud, nisi quod nos in ludicris rebus dicere solemus — *Basta* (Lobeck. de Tritop. 3. p. 15.); vel melius etiam — *Plumps* (J. H. Voss. Antisymb. p. 30.) — De Nysa Boeotia vid. Steph. Byz. Νῦσαι. Strab. 9. p. 405. b. Stat. Theb. 2. 661. Hug. de mytho p. 39., O. Mueller. Or. p. 89. 381. 383. — Ad octodecim vel urbes, vel colles, vel montes, Nysae nomen sibi vindicabant; vid. Casaub. ad Athen. 5. p. 198. f., Heeren. Id. T. 2. p. 462., Hancarville T. 1. p. 64. 98. 161. 166., Hug. de mytho p. 33., Creuzer. Symbol. T. 3. p. 101. (116.) 122. (135.), Kanne Panth. p. 98., Sacy ad Santocr. T. 2. p. 95., Sickler hymn. in Cer. p. 93., Link. Urwelt. T. 1. p. 339., Voss. Antisymb. p. 64. 69 sqq. 81. — Dionysi etiam nutrix Nysa appellata est (Terpand. ap. Lyd. de mens. p. 82.); id quod haud negandum erat Schweigh. ad Ath. T. 3. p. 102 sq.

[92]) De his et sequentibus v. Paus. 10, 32, 5. Schol. ad Eurip. Phoen. 233. Aristoph. Nub. 603. Ran. 1242. Acharn. 603., Soph. Oed. Tyr. 1098. Plut. de εἰ ap. Delph. p. 388 f. p. 591. Wytt. Lucan. Phars. 5, 73. cf. Schwarz. Misc. p. 89. 101., Kanne Mythol. p. 92., Moser. ad Non. p. 274., Creuzer. Symbol. T. 3. p. 166. (178.), Annal. Heidelb. 1817. p. 780., Gail. p. 16., O. Mueller. Or. p. 383., Dor. T. 1. p. 290. — Aristot. ap. Macrob. Sat. 1, 18. — Philoch. ap. Malel. Chr. p. 18. c. Venet., Syncell. p. 162. c. d. Euseb. Chr. p. 122. Scal., Philoch. Fr. p. 21. Sieb., cf. Hancarville T. 1. p. 63 sq. 275. — Plut. de Is. et Os. p. 365. — Welcker. Sapph. p. 19., Wernsdorf. ad Himer. 13, 7. p. 597. — Nescio sane, quo pertineat Apollo κωμαῖος (ap. Athen. 4. p. 149. d.). Dionysi κῶμος notus est.

Apollinis statuam. Ibidem ad Apollinis tripodem deposita esse dicuntur lacerati Dionysi membra; ejusque cor ad Parnassum sepulturae mandatum. In Delphici templi fronte Apollinis imago juxta Dionysum conspiciebatur. Thyia, Castaliae filia, ex Apolline Delphum parit. Quid? quod ex Aristotelis sollerti observatione Dionysi Thracis sacri ritus ad Apollinem translati sunt; quod Spartani inter Apollinis sacra sertis hederaceis tempora redimire solebant, non laureis. — Nec cum Apollinis tantum miti numine Dionysus conjunctissimus fuit, sed etiam cum Musis, sacrorum fontium numinibus, quae nutrices ejus perhibentur, et Gratiis, et Diana, Apollinis sorore [93]). — Quid? quod apud Phlyenses Apollini Dionysodoto (Dionysi filio), Dianae, Dionyso, Ismenidibus nymphis, et Telluri exstructae erant arae [94]).

Quae quum ita sint, quis in Orphica disciplina, quippe quae et ad Apollinis et ad Bacchi cultum accesserit, quidquam sibi oppositi et inimici deprehendet? Olenis, hymnodi Apollinei, quem, aliquot seculis ante Orpheum natum, hominem Orphicum fuisse vulgo opinantur, mentio quid in hac re valeat, prorsus non intelligo, siquidem is cum Orpheo non est conjungendus. — At alia difficultas restat. Miratus sum aliquando, cur Orpheus, Bacchi sacerdos, citharista vulgo audiat, non tibicen; quum tamen certissimum sit, in Bacchi religionibus tibiarum cantum adhibitum fuisse, non citharae. Jam vero hoc ita explico. Tibiarum apud Graecos usus quam sero vulgatus sit, ex Homeri carminibus disces. Is apud Trojanos tibias memorat; apud Graecos nullas [95]). Itaque quum antiqua

---

[93]) De Musis v. Philoch. ap. Athen. 2. p. 39. c. d. cf. Heyne Opusc. Acad. T. 2. p. 303. — de Gratiis Pind. Ol. 13. 24. (18. B.); Hug. de mytho p. 245., Manso. Diss. Mythol. 4. p. 425. 432., O. Mueller. Or. p. 180. — de Diana Mueller. Dor. T. 1. p. 379.

[94]) Paus. 1, 31, 2., Siebelis. ad Istri Fr. p. 67., Creuz. Com. Herod. p. 262.

[95]) Il. 10, 13. Vid. Villoison. ad Long. P. p. 304., Boettiger. in Wielandi M. Att. T. 1. p. 289 sq. 331 sq., O. Mueller. Or. p. 79. — Contrarium docet Heyne Comm. G. T. 8. p. 14. et Fr. Schlegel. p. 30., cui Lucretius (5, 1378.) imposuit.

Orphei disciplina apud Thraces Pieres, et Boeotos florere coepisset, cithara tantum, antiquissimum organum musicum, cujus inventor vel amplificator ipse Orpheus perhibetur, et quod aptissimum est ad rudium hominum animi motus componendos, in usu fuit. Tibiarum flatus mere Phrygius, quippe qui rudes rudium populorum animi perturbationes magis excitet, lenioribus et temperatioribus citharae modis tum demum successit, quum Phrygius Corybantum cultus et tumultuosa Sabazia sacra cum antiqua Bacchi religione in Graecia passim coaluissent [96]). Jam quid vero similius est, quam sub fabula de Orpheo, ob Bacchi contemtum a Maenadibus dilacerato, illud temporis momentum designare antiquitatem voluisse, quo mitis et placidus citharae cantus a tumultuoso tibiarum flatu suffocatus et exstinctus sit?

XLI.

Quam magnificae notiones de Orphica cithara hodie vulgari coeperint, scire attinet. Primum eam septem vel novem chordis intendunt; quas deinde cum Musarum, Plejadum, et, si Diis placet, Planetarum numero componunt, iisque significationes sidereas et cosmicas, quas vocant, subjiciunt [97]). At haec omnia dicta nollemus, quandoquidem fidei historicae prorsus contraria sunt. Facilius sane est, siderea, cosmica, et nescio quae alia

[96]) De citharae et tibiarum diversis effectibus v. Plat. de Legg. 2. p. 90 sqq. 7. p. 341 sqq. de Rep. 3. p. 285 sqq. 4. p. 336. Cic. de Legg. 2, 15, 88., et, quem Creuzerus (3. p. 157. (170.)) sequitur, Proclum ad Plat. Alc. 1. — Cf. O. Mueller. Dor. T. 1. p. 344 sqq.

[97]) Creuzer. Stud. T. 2. p. 268. Symbol. 3. p. 275 sqq. (291 sqq.), duce Porphyrio fabulatore (V. Pyth. p. 42. Kuest.), et Plutarcho (de an. g. in Tim. p. 192. 187.); Kanne Mythol. p. 232. Urkund. p. 39. 473., Hug. de Mytho p. 209. 219 sq. 223. 233., Passow. Mus. p. 14. 27.

alia sibi fingere somnia, quam cum historica diligentia in antiquitate sollicite circumspicere, et singulos singularum artium progressus operose metiri. — Orphica aetas nec citharam septichordem, neque enneachordem; nec Musarum numerum septenarium, nec novenarium; nec septem Plejadas novit, nec septem Planetas. Citharae quatuor tantum chordas fuisse usque ad Terpandri aetatem ii tradunt scriptores, qui temporum rationes curant [98]). Primus Terpander earum numerum ad septem auxit: octavam addidit Pythagoras [99]); nonam Theophrastus Pierites; decimam Histiaeus

[98]) Vid. sup. p. 15. Schol. ad Arat. 269. p. 70. Buhle. Cf. Hemsterh. ad Lucian. T. 2. p. 271. Bip., Spanhem. ad Julian. Caes. p. 117., Barre Mém. T. 16. p. 18. — Hoc Terpandri inventum mox antiquioribus temporibus tribui coepit, (ipsum adeo Ter-pandrum iisdem, quibus Orpheus, temporibus vixisse opinati sunt; Clem. Str. p. 347. Liebel. Fr. Archil. p. 9.) adeoque Apollini; cujus cithara, vel serior lyra, quam a Mercurio inventore acceperat (haec τρίχορδος fuit; de utriusque diversitate vid. Perizon. ad Aelian. 3, 32., Heyne Opusc. Acad. T. 2. p. 301., Mueller. Dor. 1. p. 342.), vulgo vocatur a poetis ἑπτάγλωσσος, ἑπτάφθογγος, ἑπτάτονος, ἑπτάμιτος (Hym. in Merc. 51. Pind. Nem. 5, 53. Eurip. Jon. 881. Iphig. Taur. 1133. Alc. 449. Herc. F. 684.): quae res deinde ad Orpheum translata est (Niceph. ap. Synes. de insom. p. 361., cf. quae alia erudite congessit Lambec. p. 169.), cujus lyram ἑπτάχορδον hereditate accepit Musaeus (Theon ad Arat. 268. — T. 2. p. 66. 67. Buhle., Philodem. de mus. in Volum. Herculan. T. 1. p. 131, 9. (Neap. 1793.), Nicomach. enchir. 2. p. 29. etc.).

[99]) Quum septem lyrae chordae non possent complecti diapasôn, Pythagoras inter mediam et tertiam συνημμένων, chordam intendit, quae τόνῳ differret a media, ἡμιτονίῳ a tertia συνημμένων, quae παραμέση vocatur (Nicomach. 1. p. 17. Voss. de nat. art. 3, 20, 2. T. 3. 3. p. 89. a.). Haec est illa Pythagorae προσλαμβανομένη, quam Nicephorus laudat. Ut autem idem sublime Pythagorae ingenium omnes musicas rationes magno acumine ad res coelestes primum transtulit, ita singulas antiquioris lyrae chordas singulis planetis consecravit, hoc modo:

☽	νήτη συνημμένων.	ὑπάτη μέσων. (secundum Ptolem.)
♀	παρανήτη συνημμένων.	μέση.
☿	τρίτη συνημμένων.	τρίτη διεζευγμένων
☉	μέση.	παραμέση
♂	λιχανὸς μέσων.	παρανήτη διεζευγμένων
♃	νήτη διεζευγμένων.	νήτη διεζευγμένων
♄	νήτη ὑπερβολαίων.	νήτη ὑπερβολαίων.

Colophonius; undecimam Timotheus Milesius [100]). — Quando Musarum numerus novenarius sit constitutus, incertum est. Plutarchus hanc laudem Hesiodo tribuit; quod haud dubie e corruptissimo Theogoniae prooemio collegit [101]). Antiquiores Iliadis et Odysseae partes certum numerum non agnoscunt. Orphica aetate Thraces circa Heliconem tres Musas coluerunt, *Μελέτην, Μνήμην, Ἀοιδήν* [102]), quarum mater fuisse dicitur

Aegyptiorum quum poesis tum musica, quam vetustiores Graeci mentione vix dignam iudicarunt, tam severis et superstitiosis sacerdotum legibus erat subjecta, ut, Platone teste, per plura annorum millia nihil in ea sit immutatum (Gillies. hist. Gr. T. 1. p. 237.). Nihilosecius diversissimas periodos statuunt Jablonski (Prol. ad Panth. p. LIV. Vocc. Aeg. p. 128.), Jomard. (Descript. de l'Egypte T. I. p. 357. 395.) Creuzer. Symb. 1. p. 418.

100) Cum numero chordarum mutatae sunt organorum formae et nomina, quae barbari aliquid pleraque sonant, ut μαγάδις (20 chord.) apud Athen. 14. p. 635. 4. p. 182., σκινδαψός (Athen. 4. p. 183. Ptolem. Heph. 6. p. 334. ed. Gal.), σαμβύκη, νάβλα, πανδοῦρα, βάρβιτος, βάρωμος, τρίγων, πηκτίς, κλεψίαμβος, ἐννεάχορδον, ἐπιγόνειον (40 chord.) etc. v. Athen. 4. p. 182. e. — 183. f. 637. b.

101) Plut. Sympos. 9, 14. p. 420. cf. Petersen. p. 105. — De Hesiodi prooemio vid. Hermann. Ep. ad Ilgen. p. x — xix. Thiersch. p. 22. 25.

102) Pausan. 9, 29. 2., Heyne de Mus. p. 35. Opusc. Ac. T. 2. p. 307., Wolf. Prol. p. C. cf. Zoëga Diss. p. 9. — Cic. de N. D. 3, 21. e Varrone fortasse, quatuor affert: Thelxiopen, Aoeden, Archen, Meleten. Cf. Stavern. ad Hyg. p. 310.; alii quoque scriptores quatuor laudant, sed nomina silent; v. Petersen. p. 95 sq. — A tribus illis antiquissimis Boeotiae Musis genealogia diversae sunt aliae tres, quas antiquior poesis lyrica resuscitavit, Coeli et Telluris filiae, auctore Alcmane, Mimnermo, aliis (Diod. 4, 7., Paus. 9, 29, 2. Schol. ad Pind. Nem. 3, 16. Heyne Opusc. T. 2. p. 308. Petersen. p. 91 sq.). — Seriores sunt aliae tres Musae, quas Eumelus Corinthius primus in poesin introduxit, Cephisus, Apollonis, Borysthenis (Ruhnken. Ep. Cr. 2. p. 309., Hermann. de Mus. fluvial. p. 7., Petersen. p. 92.). Hae apud Corinthios indigenae fuisse videntur (Paus. 2, 3, 2., qui Corinthi eas sculptas fuisse tradit.). — Quales Ephori tres Musae fuerint, ignoramus (Fr. p. 264. Marx. cf. Hug. de mytho. p. 222. 236.) — Quando Delphi Musas ad tres sphaeras significandas traduxerint, incertum est (Plut. Symp. 9, 4. Peters. p. 87.): ante Pythagoram hoc factum esse nego. — De septem serioribus Epicharmi Musis, Nilo, Tritone, Asopo, Heptapoli, Acheloide, Tipoplo, Rhodia, vid. Hermann. de Mus. fluv. p. 10., Petersen. p. 97.

Μνημοσύνη, et nutrix *Εὐφήμη*: cascae sane et simplices notiones. Illae haud dubie fuere, quibus tria signa in Helicone posuerant Cephisodotus, Strongylion, Olympiosthenes [103]): atque idem signorum numerus in Cithaerone aliquando comparuit. — Quis autem inter veteres, qui judicare didicerant, illi aetati septenarii Plejadum Planetarumque numeri cognitionem tribuit? Hic non audiendi sunt seriores fabulatores, qui antiquiori etiam Atlanti omnium siderum accuratissimam notitiam tribuere non erubuerunt. Sciunt diligentes Homeri lectores, quam parum illo aevo profecerit astronomia [104]). Astrologiae vero studiis Graeci tum demum mentes contaminare coeperunt, quum Berosus Alexandri aetate e Chaldaea eam in Graeciam intulisset. Tum demum in scenam prodiit Orpheus astronomus et astrologus, quem carmina de arcana astrorum relatione ad res humanas earumque vicissitudines, et similes nugas quisquiliasque canere jubebant. Tum demum sub Orphei nomine procusa sunt *Ἔργα καὶ Ἡμέραι, Σφαῖρα, Ἀστρολογικά, Ἐφημερίδες, Δωδεκαετηρίδες, Γεωργικά, Ἐπῳδικά, Μαγικά*, alia, quorum mentio ab infimae aetatis grammaticis injicitur, Tzetza in primis et Suida [105]): quorum hominum scaevitas his carminibus plerumque abutitur ad sugillanda Hesiodi Homerique ingenia. At jam Lucianus, homo omnium mortalium vaferrimus, quum omnia astrologiae studia, quibus eo tempore tot homines tenebantur, suaviter derisit; tum fictitium istum Orpheum astrologum sale Attico egregie perstrinxit. "Graeci, inquit, neque ab Aethiopibus, neque ab Aegyptiis quidquam astrologiae didicerunt — *ἀλλά σφισιν Ὀρφεὺς ὁ Οἰάγρου καὶ Καλλιόπης πρῶτος τάδε*

103) Paus. 9, 30. Petersen. p. 93.

104) Vide, si tanti est, Bailly. hist. astron. vet. T. 2. p. 248., Weidler. hist. astron. p. 153., Pfaff. p. 15.

105) Tzetz. ad Lycophr. T. 1. p. 258. 370. 405. 489. T. 2. p. 670. 869 sq. 918. Jo. Tz. Posth. 574. ibiq. Jacobs., ad Hes. p. 170. Heins. alibi. — Mira et ridicula est defensio Eschenbachii p. 151. 161. 169.

ἀπηγήσατο, οὐ μάλα ἐμφανέως, οὐδὲ ἐς φάος τὸν λόγον προςήνεγκεν, ἀλλ' εἰς γοητείην καὶ ἱερολογίην, οἵη διάνοιη ἐκείνου. Πρξάμενος γὰρ λύρην, ὄργιά τε ἐποιέετο, καὶ τὰ ἱερὰ ἤειδεν· ἡ δὲ λύρη ἑπτάμιτος ἐοῦσα τὴν τῶν κινομένων ἀστέρων ἁρμονίην συνεβάλλετο. Hac inventione omnia demulcebat Orpheus, omnibus imperabat: haec erat magna ejus lyra. Graeci, reverentia commoti, locum ei in coelo assignarunt; ac multa astra Orphei lyrae vocantur. Si Orpheum in lapide forte, vel pictura, conspicis, sedet et canit; circumcirca innumera adstant animalia, inter quae homines, boves, leones. Memento eorum, quae dixi, et in coelo quoque haec omnia reperies [106])." Non defuerunt profecto inter veteres, qui ea in coelo ipsis Orphicis temporibus revera reperirent; et, ut Orpheum fecerunt Pythagoreum, sublimem illam de siderum harmonia doctrinam ei tribuendo; ita aliud quoque Pythagorae Pythagoreorumque placitum ad eundem antiquum vatem rejecerunt; de omnibus stellis habitabilibus dico [107]): quod praeterea probasse dicuntur Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Heraclitus, Xenophanes, Parmenides, Democritus, Plato, Archelaus, Metrodorus Chius, Zeno Eleates, Aristarchus, Leucippus, Epicurus, alii; etsi quibusdam id falso tribui arbitror. De luna insignes hi exstant versus Orphici apud Proclum:

Μήσατο δ' ἄλλην γαῖαν ἀπείρατον, ἥντε σελήνην
ἀθάνατοι κλήζουσιν, ἐπιχθόνιοι δέ τε μήνην,
ἣ πόλλ' οὔρε' ἔχει, πόλλ' ἄστεα, πόλλα μέλαθρα.

---

106) Lucian. de Astrol. T. 2. p. 365. Reiz. Id verum putat et repetit credulus Servius ad Virg. Aen. 6. p. 450., Gyrald. T. 2. p. 73. d., Hanou. p. 319., Hug. de mytho p. 239., Kanne Urkund. p. 94. — Melius sentiunt Voss. de nat. art. 3, 32, 7. T. 3, 3. p. 110. a., Lambec. p. 180., Barre Mém. T. 16. p. 18., Tiedemann. p. 31. 84., Kanne Mythol. p. 31. 110., Passow. Mus. p. 46.

107) Ipsi Orpheo tribuit Proclus in Tim. 4. p. 283. 5. p. 292., quem sequitur Brucker. T. 1. p. 398. Cautius Plutarchus se in Orphicis reperisse dicit (de Placit. philos. 2, 13. hinc Euseb, Praep. Ev. 15, 30. Galen. hist. philos. 30. Stob. Ecl. Phys. 54., Macrob. in som. Scip. 1, 11.). De Pythag. vid. Simplic. ad Arist. de coel. p. 47. 60. 67., Varro. de L. L. 6. p. 69. cf. Fabric. Bibl. Gr. T. 1. p. 178., Tiedem. p. 55.

Multo scilicet acutius cernebat trismegistus Orpheus absque omni telescopiorum ope, quam hodierni astronomi, qui, quovis perfectissimorum tuborum genere instructi, magnum quoddam sibi assequuti esse nuper videbantur, conspecta imagine unius urbis lunaris colosseae, quam rudibus quibusdam lineis adumbratam exhibuerunt. Mox cum Orpheo cernemus *πόλλ' ἄστεα, πόλλα μέλαθρα*, et paulo majora canemus.

XLII.

Ad Zagreum Orphicum revertor, cui primarias in mysteriis partes antiquitas tribuit. Has autem variis modis a poetis decantatas et exornatas esse constat in carminibus *Βακχικοῖς*, quae ab Orpheo ex parte repetebantur. In iis procudendis occupatum supra vidimus Onomacritum; num sub Orphei nomine, incertum est. De Nicia Eleate, *Βακχικῶν* Orphicorum auctore, testatur Suidas. Ad eum igitur referendi sunt versus de Zagrei crepundiis, quibus dum luderet puerulus, a Junonis ultoribus interemtus est:

> *Κῶνος καὶ ῥόμβος καὶ παίγνια καμπεσίγυια*
> *μῆλα τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων* [108]).

Certiora de hoc carmine desiderantur. Longe alius generis fuisse videntur *Βακχικά*, ab antiquis Graeciae philosophis composita, ut ab Arignote et Phintye, mulieribus Pythagoreis [109]). Atque haec in memorabili quo-

---

[108]) ὀρφεύς φησιν ὁ θρᾴκιος; Clem. Alex. Prot. p. 15. P. cf. Moser. ad Nonn. p. 225. — Noli autem cum Eschenbachio (p. 31. 37. 40. 44.) aliisque omnia ea loca ad Βακχικὰ referre, ubi Bacchi mentio facta est. — Sub Eumolpi quoque nomine circumferebantur Βακχικά, unde monstrosum versiculum servavit Diod. 1, 9. — Nota e Suida sunt Pindari Βακχικά, et θρηνισμοί, quales Nicias Eleates sub Orphei quoque nomine composuerat (v. Voss. de art. poet. 13, 3. T. 3, 2. p. 31.).

[109]) Eudoc. p. 71. Suid. T. 1. p. 320., Wolf. Catalog. mulier. p. 228., Fabric. B. T. 1. p. 881. — Stob. Serm. 72. p. 443. Bas.

dam apud Stobaeum fragmento vetat, ne Bacchi sacra orgiastice peragantur; sed quiete et placide. Simili modo Heraclitus, severus ille philosophus, feminarum furorem, quo phallum circumferrent, castigabat [110]). Ergo hinc quoque apparet, ab antiquiore Bacchi cultu arcano omnem rudiorem orgiasmum prorsus exclusum fuisse. Ne Bacchi quidem vatis natura fuit orgiastica; sed, ut Apollinis, mitis et placida; etsi divino spiritu incitari credebatur. Hunc vero divinum spiritum a tellure accepit, cui veteres mirificam et plane singularem vim ad vaticinantium mentes tribuere solebant, ut omnem adeo divinandi facultatem a vaporibus ex ea surgentibus, et ab aquis inde prorumpentibus, repeterent [111]). Quid? quod Tellus Delphis prima vaticinata est. Huc pertinet Dionysus sive Zagreus *χθόνιος* [112]), cujus primitiva notio ad oracula spectat; sed a philosophis posthac ad alias res traducta est [113]). Ut autem Bacchus cum Pythico Apolline conjunctissimus erat [114]); ita et sua habebat oracula apud Thraces, a quibus, si recte conjicio, Bacchus vates, etiam Delphicus, omnino derivandus est. Herodoti temporibus floruit adhuc unum Bacchi oraculum apud Satros in deviis Pangaei saltibus, a Bessis administratum, cujus magnam cum Delphico similitudinem deprehendit historiae pater [115]).

---

110) Plut. de Is. p. 483. Wyttenb., Clem. Alex. Petrept. p. 19. Potter.

111) J. H. Voss. ad Virg. Ecl. 7, 21. Georg. p. 865., Wyttenb. ad Plût. de S. N. V. p. 98., Creuzer. Symb. 3. p. 288. cf. Dionys. p. 320. — Totam hanc materiem, amplam, fateor, et longissime patentem, accuratius propediem nobis exponet J. H. Vossius.

112) Schol. ad Pind. Pyth. 7, 3. Hesych. Ζαγρεύς. Callim. Fr. ap. Etym. M. v. Artemidor. onirocr. 2, 35.

113) Heraclit. ap. Clem. Alex. Prot. p. 30. Plut. de Is. p. 362. Wyttenb. cf. Schelling. de diis Samothr. p. 18. 66., Creuzer. T. 3. p. 369. (381.), Gail. p. 16.

114) — πρὸς τὸν Διόνυσον, ᾧ τῶν Δελφῶν οὐδὲν ἧττον ἢ τῷ Ἀπόλλωνι μέτεστιν. Plut. de Ei Delph. p. 591. cf. de Is. p. 495. W.

115) Herod. 7, 111. De Satris vid. J. H. Voss. ad Virg. Georg. 4, 462.; de Bessis Larcher. ad Herod. T. 8. p. 70. 488. — Quem Sophoclis locum (Oed. Tyr. 1100.) Creu-

zerus

Ad hanc vero septentrionalem plagam illud tum demum translatum esse suspicor, quum Pieres Thraces, a Temenidis e pristinis sedibus fugati, stuc concessissent. Conjunctionem quandam posthac etiam inter Olympi accolas et oraculi istius administratores intercessisse, colligere aliquis possit e mythica Pausaniae narratione [116]). Quodsi plura Bacchi oracula apud Thraces olim fuissent, Herodotus indicasset, quippe qui accuratissimam illarum regionum descriptionem exhibeat. Itaque eodem referendus est *Διόνυσος μάντις* apud Euripidem in Hecuba; ubi inficetus et parum in antiquitate versatus grammaticus inepta explicatione prodit, se Herodotum numquam legisse [117]). Paulo saniora, nec certiora tamen, sunt, quae in alia ad eundem locum scholii lacinia leguntur, ubi nihil quidem ambigitur, quin fuerit apud Thraces oraculum; sed duo perperam statuun-

---

zerus (Dionys. p. 321. Sud. T. 2. p. 251.) laudavit, huc plane non pertinet. — Bessos eidem Sabazii cultum adoptasse de nihilo sibi finxit Santocruc. T. 2. p. 93.; et in similem opinionem paene incidisset Zoëga (Diss. p. 21.). Serius demum hoc oraculum degeneravit.

116) Paus. 9, 30, 5.: Ἀφικέσθαι δὲ τοῖς Λειβηθρίοις παρὰ τοῦ Διονύσου μάντευμα ἐκ Θρᾴκης.

117) Schol. ad Eurip. 1342. (1267.): ἢ ἐν τῇ Θρᾴκῃ Διονύσου μαντεῖον ἦν, ἢ ἀνήρ τις ἦν ἐν Θρᾴκῃ μάντις Διόνυσος καλούμενος. — Caeterum ad idem Pangaei oraculum refero Euripid. Rhes. 975. et Sueton. Aug. 94., unde apparet, Augusti tempore adhuc exstitisse. Numquam autem veram Dionysi vatis naturam ex Euripidis Bacchis cognosces, in quibus multum Phrygici furoris ad eum translatum est. Ad vini effectum potius et Bacchi temulentiam, ad quam ejus tripus per jocum saepius traductus est (Athen. 2. p. 37. f. 38. a.), quam ad Dionysum χθόνιον, hos versus retulerim (298.):

> Μάντις δ' ὁ δαίμων ὅδε· τὸ γὰρ βακχεύσιμον
> καὶ τὸ μανιῶδες μαντικὴν πολλὴν ἔχει.
> ὅταν γὰρ ὁ θεὸς εἰς τὸ σῶμ' ἔλθῃ πολύς,
> λέγειν τὸ μέλλον τοὺς μεμηνότας ποιεῖ.

Incertissimum est, num Aeschylus in Lycurgo sive Edonibus (Boettiger. Vasengem. 3. p. 109.) Dionysum eodem modo jam produxerit (ut Boettiger. putat in Mus. Att. T. 1. p. 358.). Immo sollers quaedam observatio docet, Euripidem non admodum curasse priorum tragicorum fabulas.

tur [118]). Etenim hallucinati sunt posterioris aevi Graeci, quum vel tenuissimum illius oraculi vestigium jam dudum evanuisset, et quum fortasse et Haemi et Pangaei incolae pristinam gloriam sibi vindicare coepissent.

Magis ambigi posset de Euripidis *σανίσιν Ὀρφέως*, quas scholiasta in Haemo monte quaerit; nisi Herodotus et has dubitationes removeret. Profitetur autem chorus in Alcestide, se in Orphei tabellis Thracicis nihil reperisse, quod doloris vim et impetum reprimeret, vel leniret [119]). Ergo ex didascalico genere haec Orphei carmina erant, quorum antiquitatem satis indicant ipsae *σανίδες*, quibus inscripta feruntur. Eas etiamsi Euripides in heroicum aevum perperam transtulit, tamen a vero aberrasse non puto eum, qui illas ante exaratas esse dicat, quam expeditiorem scribendi materiem nacti essent Graeci, hoc est, ante Pisistrati tyrannidem. Nec dubito, quin ad idem tempus referendum sit cascum illud plumbeum exemplum, in quo exarata erant Hesiodi *Ἔργα*; quod Pausanias se conspexisse prope Heliconis fontem quemdam testatur, monstrantibus Boeotis, illorum locorum accolis [120]). Hi noluerunt quidem Pausaniae persuadere (id quod vix credidisset), ab ipso Hesiodo has plumbeas tabellas perscriptas esse; sed antiquissimum *Ἔργων* exemplum se possidere.

Caeterum Orphei *Θρῄσσας σανίδας* Euripidis scholiasta docte retulit ad Orpheum *μάντιν*, fidam haud dubie Dionysi vatis imaginem, de quo

---

118) *οἱ μὲν περὶ τὸν Παγγαῖον εἶναι τὸ μαντεῖόν φασι τοῦ Διονύσου, οἱ δὲ περὶ τὸν Αἶμον, οὗ εἰσι καὶ Ὀρφέως ἐν σανίσιν ἀναγραφαί.*

119) Alc. 988 sqq. cf. *ἐπῳδὴν Ὀρφέως* Cycl. 646., de qua Valcken. ad Eurip. Phoen. 845.

120) Paus. 9, 31, 3. Heyne Opusc. Ac. T. 2. p. 310.. Thiersch. de Hes. p. 8. 31. — Pausaniam irridet Barre Mém. T. 16. p. 15., et Aug. Wolf. Proleg. p. CLII.

egregie olim meruit Philochorus in opere περὶ μαντικῆς [121]. Hic enim historicus collegerat et exposuerat omnia Orphei carmina illuc pertinentia, quorum initium Euripidis scholiasta profert; unde apparet, longe aliam tunc temporis exstitisse collectionem, quam quae ad nostram aetatem pervenit. Quae res haud mira videbitur ei, qui longe plurima carmina Orphica post Philochori demum aetatem composita esse meminerit. Hujus collectio haud dubie ejusmodi versibus composita erat, quales a Platone, et aliis probatis scriptoribus, passim laudantur.

---

[121]) Schol. ad Eurip. Alc. 988.: Καὶ ποιητὴς καὶ μάντις ἦν ὁ Ὀρφεύς. Φιλόχορος ἐν ᾱ περὶ μαντικῆς ἐκτίθησιν αὐτοῦ ποιήματα ἔχοντα οὕτως·

Οὔτι ἀριστερός εἰμι θεοπροπίας.

Clem. Alex. Str. 1. p. 331. Sylb.: Ὀρφέα Φιλόχορος μάντιν ἱστορεῖ γενέσθαι ἐν τῷ πρώτῳ περὶ μαντικῆς. Cf. sup. p. 34.

Εἴη δ᾽ ἔμοιγε μήτε χρυσὸς ἐν δόμοις,
μήτ᾽ Ὀρφέως κάλλιον ὑμνῆσαι μέλος,
εἰ μὴ 'πίσημος ἡ τύχη γένοιτό μοι.
